

quidem peccati tempore maxime affligitur et premitur, sed multo magis, quando hinc avulsa, ad rationes illic reddendas, et ad terribile illud iudicium adduci debet. S. ANTON. l. c. a. ix, § 6.

Sicut si liber homo ambulans per viam, iusta quam est fovea profundissima, proficeret se in eam, non est liber ad exeundum nisi alterius adjutorio; ita et in foveam peccati, quod ad infernum ducit, liber est qui libet per se ad intrandum, sed non ad exeundum, nisi Deus porrigat ei magnum gratiæ, quod agnoscens David *Psal. cxliii*, dicebat: « Emitte manum tuam de alto libera me et eripe me de aquis multis, » scilicet vitiatorum, « quia scilicet per me non valeo. » *Id.*, p. viii, tit. viii, c. viii.

Sicut si miles aliquis ex omni parte bene sit munitus, si tamen ex una fuerit nudus, et in ea parte lethaliter saucietur, sic cadit, quemadmodum si totus fuisset nudus; sic et Christianus, si iustitiam fecerit, et in uno peccaverit, similiter peccator statuitur, quemadmodum si semper peccasset. MANSI, *dis. xii*, n. 4.

Sicut in inferno sunt ignis, et frigus, fœtor, caligo, vermis, confusio, sitis etc. ita in peccatore est ignis iræ, impatientiæ, avaritiæ, frigus invidiæ, fœtor luxuriæ, vermis conscientiæ, sitis concupiscentiæ, inordinatio, atque perversitas animi, detestatioque virtutum. DIONYS. CART., a. xviii, de *Enorm. pecc.*

Sicut si quis veniens ad portam istam, videret unum scholarem, sedentem in porta, similiter eras, similiter multis diebus, non ne de facili cogitaret: Iste scholaris intrabit Ordinem? Quomodo ergo non credibile, quod illi intrent in infernum, qui tamdiu sedent ad portam inferni. B. JORD., apud *Bolland.*, 13 febr.

Sicut multi adversus viduam insurgere solent, quia neminem habet, qui suas partes possit defendere; ita omnes dæmones, et omnes creaturæ insurgunt adversus animam, Dei præsidio et auxilio destitutam; unde Regius vates: « Qui quærebant animam meam, consilium fecerunt in unum, dicentes: Deus dereliquit eum; comprehendite, quia non est, qui eripiat. » *DIADACUS STELLA*, in c. xi, *Luc.*; S. BASIL., ap. *Beirl.* in *Theat. V. pecc.*, fol. 131.

Sicut in discussu Regis omnes, qui sunt in curia, abeunt; ita cum Deus discedi ab anima, omnia bona opera, quæ peccator in

statu gratiæ est operatus, amittit, et nullius sunt valoris. *Ps. lxx, 11. idem.*

Sicut virtutes, ac dona Spiritus Sancti, vires animæ reddunt ad bene agendum expeditas ac faciles, a ratione quoque et Spiritu Sancto bene prompteque mobiles; sic peccata et habitus vitiosi vires præfatas a bonis retardant, ad bona agenda infirmas efficiunt, ad mala pronas constituunt, ad diabolicum instinctum, passionumque impetum assequendum, faciles reddunt. DION. CART., a. xviii, de *Enorm. pecc.*

Sicut corpus mortuum non potest aliquem juvare, nec ab aliquo juvari; ita mortuus per peccatum in anima, non est capax operis boni, quod sit pro eo, in quantum est ipsum satisfactivum; nec per se satisfacere potest per opera, quantumcumque penalia, ut jejunia, peregrinationes, et elemosynas, et huiusmodi; peccator enim inimicus, Dei constituitur propter offensam commissam. Durante ergo inimicitia, non acceptat Deus aliquam satisfactionem, cum deficiat amicitia, qua acceptatur. S. ANTON., p. I, t. vii, c. iii.

Sicut egrotus cibos dulcissimos, et opiparos aversatur, non quia illi amari sint, sed quia ejus palato humoribus noxiis infecto, amari videntur; ita homo peccati tabe corruptus, et prope examinis effectus, virtutem ori non admovet, non quia illa sit injuncta, sed quia palatum animæ, perditis moribus, quasi malis humoribus vitiatum, ejus suavitatem non valet percipere. JAC. ALV., t. I, *Proa.*

Sicut si quis in aliqua domo haberet perpetuum censum, qui illam irreparabiliter destrueret domum, non solum unius anni censum, sed infinitorum annorum censum eidem auferret; sic et qui se ipsum irreparabiliter destruit, non unius diei servitium solum sibi auferit, sed totius futuræ perpetuitatis innumerabilia, infinitaque servitia; non enim sola presentis temporis servitia Deo debentur, sed etiam futura, quæ tanto præstantiora sunt præsentibus, quantum gratiam gloria antecellit. S. BERN., t. II, ser. xii, a. 1, c. iv.

Sicut, qui suscipiunt jugum Christi, Christus eos delectat in spiritu, ne fatigentur in bonis operibus; sic et qui jugum suscipiunt diaboli, diabolus, eos delectat, et decipit, ne discedant a malo impii usque ad mortem suam. *ARTHOR., oper. imp.*, hom. xxiv.

Sicut mare fervens quiescere non potest, sed redundat fluctus ejus, et revolvuntur

ad littora, atque iterum resorbentur, et in se fracti lutum efficiunt, quod pedibus conculeatur; sic impii æternæ conculationi subjaceant, quorum nullum est gaudium, qui et nulla pace requiescant, in eo quod impii perseverant. S. HIERON., ap. *Mansi*, *dis. xv*, n. 6.

Sicut videmus oculos corporis, cum in fumo forte remorantur, lacrymas semper effundere; si vero potantur aere purgato, et florentibus pratis, et hortis virentibus, et fontibus inter amœna fluentibus, et saniores esse, multoque majori aciei fulgore rutilare; talis profecto est, et mentis oculus, si in pratis spiritualis pascatur eloquii, erit totus sine dubio purus, ac lucidus, et acutius cuncta perlustrans; si vero in fumum secularium negotiorum fuerit ingressus, ad innumera prorsus mala lacrymabitur, et flebit, et in hoc quidem sæculo, sed multo amarior in futuro; fumo enim sunt humana negotia comparanda: propterea et ille ait: « Defecerunt sicut fumus dies mei. » S. CHRYS. hom. ii, in *Mati.*

Sicut scorpio facie lampit, et cauda pungit; sic peccatum in principio per tentationem allicit, et ultimo per mortem æternam officit. Ideo dicebat David: « Non est pax ossibus meis a facie peccatorum meorum. » *BERNARD.*, v. *peccat.*

Sicut qui congereret guttulam mellis in magnum vas fellis et absynthii injectam ad potandum, non dulcedinem, sed amarorem sentiret; ita qui medicam, et umbratilem peccati dulcedinem, tot angoribus et conscientiæ accusationibus circumdata bibit, concupitam suavitatem experiri non valet. JAC. ALV., t. II, l. p. 1, c. iv.

Sicut is, qui bibit in actuali intemperantia sua, nihil aliud sentit præterquam gustum vini et saporem illius, postea vero peregrinos ebrietatis experitur effectus, propter damnum, quod animæ et corpori adfert; eodem modo quoad peccatum accedere solet, dum enim committitur, magnam sensualitati, et inordinato appetitui præbet satisfactionem, mox vero ut patratum est peccatum, acerbissimum peccator experitur remorsum; quia peccatum nostrum contra nos est semper. MANSI, *dis. xx.*

Sicut mulier ad tempus quidem dissimulare potest, sed tandem perturiendo, doloribus attestantibus, occulta prodit; sic quisquis ejusmodi est, peccatum suum utcumque dissimulare ad tempus, et abscondere po-

test; sed in tempore suo cuncta cordis ejus occulta cum dolore manifestabuntur, juxta illud: « Nihil opertum, quod non reveletur, neque occultum, quod non sciatur. » *RUFERT. AB.*, l. VI, in *Osee.*

Sicut esca in hamo decipit piscem; sic peccatum fallit peccantem, quia dum vane impieque delectat, ad tristitiam sempiternam perducit. DION. CART., de *Enorm. pecc.* c. xviii.

Sicut fumus apes fugat, et fœdus odor columbas expellit; ita Angelum vitæ nostræ custodem abigit, multo lacrymarum aspergine dignum, ac graveolens peccatum. S. BASIL., in *Ps. xxxiii.*

Sicut columba accipitrem fugiens mutat semper locum, imisque etiam vebribus ac spinis se immergit, nec tamen sic evadit, sed fatigata hosti in prædam cedit; sic peccator undique urget conscientiæ, et gehennæ metus, nec tamen illum evadit. Unde dicere cogitur cum David: « Cor meum conturbatum est in me, et formido mortis cecidit super me. » *STARL.*, tex. iii, in *Dom.* 9 post. *Pent.*

Sicut pater familias furem sua diligentia jam non valentem fugere, sinit plura furari, ut comprehensum evidentiis de furto convinct, et severius puniat; ita Deus peccatorem sinit in plura peccata labi, et gravius postea castigetur. JAC. ALV., t. II, l. I, p. 1, c. iv.

Sicut si homo aliquis per terram extensus gestaret pondus ingentis turris aut rupis, etiamsi omnes ei voluptates offerrentur, nihil solatii inde perciperet, donec pondus amotum esse; ita nec homo, cui immensum pondus peccati incumbit, solidam consolationem percipere poterit, donec pondus hoc ablatum fuerit. *ARRIAS*, de *Gravitate pecc.* c. xxxviii.

DAMNUM PECCATI VENIALIS. — Sicut hortus, licet quoad omnia bene excoltus sit, si tamen vel a modica aqua illidentis fluminis alluatur, paulatim consumitur; ita et animus hominis tandem collabitur, si frequenter a peccatis venialibus infestetur. S. MACAR. h. xliii.

Sicut in stipulam ignis exiliens inhæret, donec omne, quod corripuit, assumat; ita vel exigua scintilla peccati, si quo vitiorum fomite fuerit excitata, grande incendium excitat. S. AMBR., in *Ps. 1.*

Sicut in corporibus, quæ vulnera neglexerunt, febres gignunt, et putrefactiones,

ac mortem denique; itidem in animis, qui pusilla dissimulant, majora invitant. S. CHRYS., in cap. 1. *Gal.*

Sicut pisces decurrunt aqua vivarii moriuntur, si clausura ipsius minutatim ac sæpe crepant, nec reficiuntur; ita omnis Religio (Monastici Ordinis præprimis) funditus perit, si custodia ejus per modicam contemptum culparum paulatim a fervore suo tepescit, attestante Scriptura: Qui spernit modica, paulatim decidet. S. ANS., 1. *de Simil.*, c. xii.

Sicut juxta præceptum vadens, quamvis non decidat, tremat tamen, et sæpenuero ab ipso subversus timore decidit; ita et non procul peccata fugiens, sed secus ipsa vadens, cum timore vivit, et in ipsa labitur sæpius. Tertullianus eosdem funambuloni- bus in aere super funes saltantibus assimilat: hi enim quovis momento in evidenti sunt præcepti periculo, et communiter talis esse solet infelix ipsorum exitus. S. CHRYS., hom. v, ad Pop.

Sicut vulnera modica non curata inflantur, et sanam carnem corrumpunt: eodem modo culpæ, licet leves, si non curantur, sed negliguntur, gangrænam spiritua- lem inducunt. MANSI, *dis.* IV, n. 1.

Sicut qui assuetus est loco infimo cadere, facile cadet, et nescit subsistere in loco sublimi positus; ita qui modicis peccatorum levium tentationibus vincitur, gravi tenta- tione pulsatus, difficulter a gratia in mentis stabilitate retinetur. ALVAR., t. II, l. I, p. I, c. XII.

Sicut nemo habitat libenter in domo plena muscis, imo fugit et abominatur eam; sic Deus mentes muscosas declinat, nec habitat in animabus peccatorum venialium sordibus contaminatis, id est, per gratiarum cœlestium, et specialium auxiliorum abundan- tiam non assistit, sicut facturus fuisset, si quantum humana fert fragilitas, immacula- tam se conservasset. HUG. CAR.

Sicut adamas magnetem sua præsentia impedit, quo minus ferrum sibi attrahat, nec tamen magnetem ideo naturali sua vir- tute, et proprietate privat, sed solum pro- tunc eandem suspendit; videmus enim per experientiam, quod, quam primum adamas a magnele recedit, subito hic ferrum ad se trahat. Eodem modo, licet peccatum veniale amorem Dei ab anima non auferat, ejus tamen æstum refrigerat, ejusque fervorem adeo retardat, ut illas virtutum actiones non

operetur, quibus alias incubitura fuisset. S. FRANC. SALES., l. IV, c. II, *de Amor.*

Sicut quando calor naturalis nimium se in exteriores corporis nostri partes extendit stomachum magno ad bonam digestionem subsidio privat, ac proinde generantur cruditates, et pravi humores, qui febres, alias- que infirmitates mortales causant. Eodem modo si cor hominis Christiani, quod ad Creatorem suum diligendum omnino inten- tum esse debet, per inordinatas affectiones ad amorem diffundatur creaturarum, amor ille, quem Creatori nostro debemus, tanto magis intepescit, et diminuitur. MANSI, *dis.* IV, n. 4. Unde Alvarez tale format ar- gumentum: Si magna perfectio, magna charitas est, et magna charitas est magnus amor, et magnus ac ardens amor eum, quem amamus, nec leviter contristare permittit, quomodo eximie amabimus Deum, et perfectam erga illum charitatem habebimus, quem quotidianis imperfectioribus lædere non veremur? Idem quoque alio in loco sequentem adducit similitudinem. ALV., t. I, l. V, p. I, c. XVI, f. 1073.

Cinis carbonibus superinjectis, ipsorum tum splendorem fuscatur, tum ardorem impedit, adeo ut juxta eos positi nullum sentiamus calorem. Peccata hæc pulvis et cinis sunt: pulvis, quia splendorem charitatis obnubilant; cinis, quia debilitant concep- tum ex charitate fervorem. Videbis aliquos justos in meditatione frigidus, in oratione segnes, in divinis laudibus tepidos, qui nunquam lacrymis irrigantur, nunquam interna suavitate irrorantur, vix compunctionis sensu tanguntur; et, si causam hujus insen- sibilitatis scruteris, non aliam, quam defectum multitudinem, et in vitandis modicis peccatis insignem oscitantiam invenies. B., t. II, l. I, p. I, c. XI, f. 69.

Sicut modici sumptus imprudenter iterati magnam etiam substantiam exhauriunt, et dum minus putamus, divitem pecuniis vacuum et egenum relinquunt: sic per levia peccata passionibus crebrescentibus, et insolentius se ostentantibus, virtutes subruuntur; et ingruente gravi tentatione, dum ei quis assensum præbet, manifeste deficit. Sunt velut iremissæ ægrotatiunculæ, quæ vitam quidem non dissolvunt, sed ita corpus extenuant, ut accedente aliquo gravi morbo corpus vires non habeat resistendi. Idem.

Sicut balista quænam, globo suæ vasti- tati proportionato onusta, habilis, et idonea,

ut repetitis explosionibus turrim quamdam optime munitam in terram prosternere, et demoliri possit, et tamen parvulus quidam clavus digiti longitudinem duntaxat habens, ad eandem militarem machinam inutilem reddendam abunde sufficit: idem quoque in hac spirituali militia, quæ ab animo contra infernum geritur, contingit: etenim unica culpa venialis, unica inordinata affectio, unica demum non penitus refrenata passio satis superque sufficit, ut, dum cum adver- sario pugnam ire paramus, omnem nos- trum vigorem, et fortitudinem plane enervet. Pharo Moysi indulgebat licentiam, ut omnes Israelitas ex Ægypto sacrificii offerendi causa educeret, cum hæc tamen condi- tione, ut greges, et armenta sua post se in Ægypto relinquerent. Idem quoque est astuti serpentis gehennalis artificium; per- mittit enim, ut in multis his bonis operibus exerceamur, ita tamen, ut peccato alicui veniali, per affectum adhaerescamus. Porro Moyses, cui latentem sub hac a Pharaone data licentia dolum suboluit, eidem Pharaoni protestatus est dicens: « Non remanebit ex eis ungula. » MANSI, *dis.* VIII, n. 5.

Sicut ad lucem solis minimi conspiciuntur atomi, qui, sole absente, oculis etiam lyn- ceis invisibiles sunt: ita culpæ etiam levissi- mæ, quas nos nihili ducimus, vel non ad- vertimus, aut minime agnoscimus, coram oculis Dei graves sunt, quæ proinde a nobis ex ejusdem Dei ordinatione per ignem diluenda sunt. S. GREG., l. IV, *Dial.*, c. XL.

Sicut quælibet ex modicis plagis modicum potest salti corporali inferre periculum, verumtamen omnes simul junctæ vires corporales adeo extenuare possunt, ut deinceps alteri superventuro malo nequaquam pos- sent resistere. Eodem igitur modo, licet sin- gula peccata venialia animam necare ne- queant, attamen quia, quodlibet peccatum veniale spiritualem animæ vigorem debili- tat, tentatorisque vires et temeritatem valde adauget, contingere posset, quod a tam impetuoso infestaremur insultu, ut inermes, ac aliunde usquequaque haud bene provisi cederemus turpiter, et laberemur. S. AUG., s. CXLIV, *de Temp.*

Sicut compedes, quæ affectus tenent infi- mis rebus obstrictos, ne ad cœlestia et supe- riora ferantur, sunt catenæ, quæ manus animæ ligant, ne nostram perfectionem ope- rentur; ita retardant hæc levia peccata hinc migrantes ad gloriam. Quantum damnum

hoc sit, norunt illi, qui sciunt, quam intole- rabile malum est anima: hinc discedenti, vel od momentum Dei conspectu ac fruitione privari. ALVAR., l. c. f. 70.

Sicut fœculum pretiosum, si multis conte- gatur muscis, propter hoc suam quidem non amittit substantiam, et saporem, verum tamen is, qui inde gustaturus est, fastidium illius propter hoc facile concepit, et nauseam eodem quoque modo in præsentis proposito nostro dicere possumus, quod tametsi culpa veniales nos Dei amicitia, bonorumque ope- rum meritis hæcenus comparatis non privet, Deo tamen aliqualem displicentiam, et nausea afferant: Quia tepidus es, incipiam te evomere. MANSI, *dis.* XVII, n. 13.

Sicut, licet ex decem illis chordis noveni aptæ sint ad harmoniam faciendam dispo- sitæ, si tamen una ex illis discordet, hæc unica tunc confundit, et destruit aliarum consonantiam; ita quoque observantia no- vem præceptorum prorsus est ad salutem inutilis, si vel unius duntaxat præcepti obedi- entia deficiat. Omne enim instrumentum musicum, ut Philo Hebræus, ait deficit, etiamsi unum tantum discrepet. B., *dis.* XVII, n. 2.

Sicut sæpius domos ædificantes homines, et lectum imponentes, unius tegulæ excus- sæ curam non gerentes, totam domum per- diderunt, et in vestimentis hoc ipsum even- ire, quis cernere possit; etenim parva in illis facta scissura magnam fecit disruptio- nem. Hoc et in torrentibus multoties evenit, etenim et illi, si vel minimum ceperint in- gressum, totum introducent fluentem. Ita et tu, licet te undique munieris, si tamen aliqua pars immunita dimissa est, etiam hæc diabolo obstrue, ut sis ab omni parte firmatus. S. CHRYS., hom. XIX, *ad Pop.*

Sicut filia Pharaonis nunquam sibi per- suadere potuisset, eundem illum puerum progressu temporis, regnum illud decem se- verissimis flagellis percussurum, ab eodem- que patrem suum in maris Erythræi undis submergendum esse; sic quoque peccata venialia in primis principibus, eo quod exilia sint, nobisque satisfactionem, et complacentiam pariant, non repelluntur; aut fugantur a nobis, imo fovemus et nutrimus ea, non considerantes, quam nobis in progressu tem- poris caro sint pretio diluenda. MANSI, *dis.* XX, n. 2.

RELAPSUS IN PECCATUM. — Sicut is, qui in eadem febri incidit, graviorem semper

experitur, ita ut denique omnino a medicis desperetur; ita cum anima ab æstu concupiscentiæ ad pristina peccata frequenter revocatur, denique omnino a Christo velut vero animarum medico deseritur. ROSENOL., l. 1, *Disc. rel. c. XIX.*

Sicut ii, qui in luto se versant, quo magis voluntantur, eo amplius inquinantur; ita qui se semel luto improbitatis asperserit, nisi ab eo velociter exiliat, gravior sibi de decore sui cœnum per singulos dies lutulentæ conversationis obducit. S. AMBR., in *Ps. 1.*

Sicut qui cerasa manducat, ab initio non nisi duo aut tria manducare proponunt, sed illa tria sua dulcedine ad viginti, imo ad centum trahunt, et graviter valetudinem lædunt; ita unum peccatum repetitum ad frequentiore repetitionem allicit. STAPLET.; ex. ii, in *Dom. 1 post Pent.*

Sicut animalia, quæ angustas venas habent, ex veneno non facile pereunt, quoniam virus ad cor facile penetrare nequit; quæ autem venas amplas fortita sunt, celerius veneno extinguuntur; sic qui conscientiam angustam ex timore Dei et justitiæ ejus habent, difficulter venenum peccati in cor admittunt; quibus vero larga conscientia est, nullo timore constricta, facile culibet peccato consensum præbent. Ib., *text. ii, in Dom. 21 post Pent.*

Sicut qui sæpius in carcerem conjicitur, tandem verecundiam, et pudorem carceris exiit, nec delentionem magnopere curat, sic peccator sæpius recidivus implet illud Jeremiæ: Frons meretricis est tibi, nescis erubescere. Ib., *text. vi, in Dom. 3 Quadr.; JEREM., iii.*

Sicut vestis ex nimio usu tandem sic destruitur, ut reparari nequeat; sic peccata in consuetudinem deducta ita debilem animam efficiunt, ut nec inspirationes Dei, nec hominum admonitiones, quidquam proficiant in ea restauranda. Ib.

Sicut ii, qui juxta rapidissima flumina commorantur, auribus usu obsurdescunt, molestissimum aquarum fragorem sine ulla molestia perferunt; sic consuetudo delinquentium dimittit admirationem delicti facite, ut parum de eo emendando cogitur. Ib.

Sicut, qui vicinium habet fabrum, cujus malleus die nocteque incudem ferit principio quidem moleste fert, et somnum inquietum ducit; tandem tamen diu assuefactus

nihil molestiæ percipit, sed inter ipsos ictus altum sterlit; sic peccator ab initio quidem suos remorsus sentit, sed consuetudine et usu peccati ita induratur, ut nullo conscientiæ quantumvis valido ictu excitetur. Ib.

Sicut cum intus in domo omnia plena sunt tumultu et strepitu, audiri non potest, qui foris pulsatur, nisi fortissime, et crebro id faciat; sic a corde insanis cupiditatibus pleno audiri verbum Dei non potest, nisi fortius intonet. STAPLET., in *Sezag.*, *text. ii.*

Sicut ignis scintilla, facile ascendit ligna arida, difficulter vero viridia, et humientia absorbit; ita auxilium Dei recenter lapsos facile, difficulter autem aut omnino nunquam diuturna peccandi consuetudine obduratos convertit. Ib.

Sicut soporiferis febribus soporatos si velles, et magnis clamoribus a somno excites, attollunt quidem oculos, sed mox humoris abundantia suppressi iterum obdormiunt; sic peccatorum somno, consuetudine, ac voluptate consopitis accidit, ut, si pro conione excites, vigilare et emergere quidem nonnihil conentur, consuetudinis tamen pondere oppressi in pristinum somnum et mores delabantur. STAPLET., in *Text.*

Sicut Sampson primo duobus funibus lineis, deinde nervicis, et demum septem funibus novis alligatus fuit, et quanto magis in Dalilæ consuetudine perseverabat, tanto fortioribus eum vinculis alligabat; ipsosque tandem oculos eruit, ac Philistæis illudendum, ac occidendum tradidit; ita peccator Dalilæ suæ, id est, carnis blanditiis obsequens, ex parvis malis in majora pertrahitur, et tandem crinibus (id est, verecundia) et oculis rationis privatus, diaboli potestati traditur. STAPLET., *text. vi, in Dom. 3 Quadr.*

MOTIVA.

PRO PECCATI MORTALIS FUGA. — Quia « Dei gravissima offensa est: » uti colligi potest ex triplici capite. 1. Ex eo, quod Deo cultum debitum, imo et ipsam Deitatem auferat, et idololatriam inducat, de qua Isaias dixit: Repleta est terra idolis: opus manuum suarum adoraverunt, quod fecerunt digiti eorum. Et incurvavit se homo, et humiliatus est vir: ne ergo dimittas eis. Is., ii, 8. Nam, ut recte S. Hieronymus discurrit, ri-

diculum est, quod aliquis judicetur idololatra, qui duo grana thuris offert creaturae, quæ debuit Deo offerre; et ille non judicetur idololatra, qui totum servitium vite, quod Deo debuit offerre, offert creaturae. S. HIER., in *Ep. ad Rust.* Imo ut S. Bernardus ait, in ipsum desævit Auctorem, et quantum in ipso est, Deum perimit. Omnino enim vellet Deum peccata sua aut vindicare non posse, aut nolle, aut nescire. Vult ergo eum non esse Deum, quia, quantum in ipso est, vult eum esse aut impotentem, ac injustum, aut insipientem. S. BERN., s. iii, de *Resur.* 2. Ex eo, quod Deus fecit in vindictam peccati; nam, teste S. Bonaventura, nihil posset cogitari, quin Deus fecerit propter odium peccati; ipse enim propter peccatum semel dissipavit fore omnia opera sua, scilicet totum mundum per diluvium. Alii Reges, et potentes in præjudicium, odiumque suorum inimicorum depopulantur terras eorum; Deus autem dissipavit terram propriam, quia peccatum intraverat terram suam. Alii homines propter vinum corruptum non projiciunt in mare vasa aurea, vel argentea, sed servant vasa, et vinum effundunt; Deus autem non vinum peccatum, sed etiam vasa peccati, id est, creaturas rationales ad imaginem suam factas, et suo pretioso sanguine redemptas in odium peccati projicit in oceano infernali. S. BON., in *Diat. sal.*, c. 1. 3. Ex eo, quod ordinavit, ut penitentia peccatoribus penitentibus semper valeat; nam, ut recte sanctus Augustinus colligit, constat ei peccata multum displicere qui semper præsto est, ea per penitentiam destruere. Si enim amaret, non ita semper destrueret. Sed semper destruit peccata, quæ invenit, ne solvatur, quod creavit, ne corruptur, quod amavit. S. AUG., de *Vera et fals. pen.*, c. v.

Quia « ipsius etiam Christi gravissima offensa est: » id quod præclare S. Bernardus ostendit, dicens: Ex consideratione remedii periculi mei astimo quantitatem. Nesciebam, et ecce mittitur Virginis Filius, Filius Altissimi Dei, et jubetur occidi, ut vulneribus meis pretioso sanguinis illius balsamo medeatur. Agnosce, o homo, quam gravia sunt vulnera, pro quibus secundum divinæ sapientiæ ordinem necesse est, Dominum Christum vulnerari. Si non essent hæc ad mortem, et mortem sempiternam, nunquam pro eorum remedio Dei Filius

moretur. S. BERN., s. in *Natic. Dom.* Hinc merito S. Bonaventura dicit: Apparuit Dominus Deus cum vulneribus suis, et clamabit dicens: Videtis quanta a vobis, et pro vobis passus sum: et tamen ingrati omnia contempsistis, et pro nihilo duxistis: Ite maledicti in ignem æternum. S. BON., p. 1, *Stim.*, c. 1.

« Quia gravissimum pœnæ æternæ reatum adducit: » Si ergo nemo vel integrum etiam regnum acciperet, ut per unicum diem in fornace ardenti jaceret, et torqueretur; quanta insania erit, æternum sævissimis et inexplicabilibus inferni tormentis velle cruciari, ut levissima et momentanea voluptate quis fruatur?

« Quia summum animi cruciatum etiam in hac vita affert: » juxta illud Jeremiæ: Arguet te malitia tua; et averso tua increpabit te. JER., ii, 15. Id quod Caino dixit Deus: Nonne si bene egeris, recipies: sin autem male, statim in foribus peccatum aderit. GEN., iv, 5. Hinc S. Augustinus: « Peccatoribus, ait, non est locus in his, quæ foris sunt, quia ibi patiuntur tribulationes, ubi conscientia illos consolatur. Non est illis bene secum, quia bene esse cum malo non potest. Quisquis autem malus est male secum est. Torquetur, necesse est, sibi, seipso tormento. Ipse enim est pena sua, quem torquet conscientia sua. Fugit ab inimico, quo posuerit, a se quo fugiet? S. AUG., sup. *Ps. xxxvi.* Sequitur se ipse, inquit Seneca, et urget gravissimus comes, animi morbus, et conscientia mastix. Tuta enim scelera esse, secura non possunt. Multos fortuna liberat pena, metu neminem. Quare? quia infixi nobis ejus rei adversatio, quam natura damnavit. Potest ergo nocenti contingere, ut lateat: latenti fiducia non potest. SEN., epist. cxxviii. Hinc Job: Sonitus terroris semper in auribus illius, et, cum pax sit, ille insidias suspicatur. JOB., xv, 24. Et ipse Deus: Ponam faciem meam contra vos, et fugietis nemine persequente. LEVIT., xxvi, 17.

« Quia turpissima servituti subicit: » nam, teste S. Ambrosio, qui facit peccatum, servus est peccati, et quod pejus est, multorum servus est; qui subjectus est vitii, multis se dominis adducit; ut servitio ei exire vix liceat. S. AMBR., l. ii, de *Jace.*, c. m. Et juxta S. Chrysostomum, barbarum est peccatum, tyrannidem exercentis in animam semel captam, sed in perni-

ciem eorum, qui ipsam suscipiunt. S. CHRYS., hom. ix, in II. *Eph. ad Corin.* Imo ipsius etiam diaboli servituti subicitur, ut recte S. Augustinus dixit: « Unusquisque peccando animam suam diabolo vendit, accepto tamquam pretio daleedine temporalis voluptatis; sic ergo Esau stultum iudicamus, dum pro vili esca primogenituram vendidit, quanto magis insipientem censebimus hominem, qui pro vilissima voluptate non jus dumtaxat suum, sed seipsum vendit? » S. AUG., in *Expos. ep. ad Rom.*

« Quia summe decet Christianum: » nam S. Cyprianus Martyr, non pertinet, inquit, ad te, Domine, qui te non diligit; nec diligit te, qui te offendit. S. CYP., de *Card. oper.* Indignum enim prorsus, et a ratione alienum est, ut anima voluntarie delinquens copuletur Verbo Dei, et celesti sponso, ut recte dixit S. Laurentius Justinianus. S. LAUR. *Iust.*

« Quia est mors animæ; » ut S. Eucherius indicavit dicens: « In quocumque die comederis, » etc. Gen., II, 17. Mortem dicit animam, non corpus, quia non eo tempore mortui sunt, quando comederunt; ergo hanc, quam tunc Deus comminatus est mortem, non eam debemus accipere, qua caro separatur ab anima, sed hanc, qua hæc alienatur a Deo, qui est vita sua, tamquam si diceret: Quia die me deserueritis per inobedientiam, deseram vos per justitiam, sicut enim corpus vivit ex anima, ita anima, ut beate vivat, vivit ex Deo. Ergo deserta a Deo anima, jure dicitur mortua, ex qua tres postea secute sunt mortes: prima in anima; secunda in carne; tertia in damnatione. S. EUCHER., in *Caten.* Et idipsum confirmans S. Augustinus, quid est, inquit, mori ipsius (animæ) quid est mori carni tuæ? est, amittere vitam tuam. vita carnis tuæ anima tua, vita animæ tuæ Deus tuus. Quomodo moritur caro, amissa anima, quæ vita est ejus, sic moritur anima, amisso Deo, qui vita est ejus. S. AUG., tr. XLVII, in *Jovan.* Unde merito S. Isidorus Pelusiota ait: Vehementer miror, ac stupore defigor, qui fiat, ut his, quos peccata delectant, cum semper moriantur, nunquam tamen mortuos se esse existant, unde etiam, quemadmodum scripsisti, in questionem illud venire potest, quod ad primos fictos homines dictum est: « In quacumque die de ligno comederitis, morte moriemini. » Facinorosus enim, ac sciacarius

tum demum proprie moritur, cum leges violat, ac scelus admittit, quantum libet alioqui vitæ usura frui videatur. S. ISIDOR., PELUS. *epist. cccii.* Et Casarius Arelatenis, carnem, inquit, quam non possumus resuscitare, plangimus; et animam mortuam non plangimus, quam possumus ad statum pristinum revocare.

« Quia per peccatum mortale homo a Deo deseritur; » quod sic explicat Didacus Stella: Peccatum, Deum in anima per gratiam existentem, ab ipsa rejicit, non eo modo, quo alter te fortior et excellentior a loco aliquo expellit; nam peccatum non est fortius Deo; ejicit tamen illum per propria demerita: nam cum peccator Deum existentem in anima, vitis turpitudinibusque inhonorat, tunc dicitur Deus ejici et expelli a peccatore. Videt Deus plures estimare nos stercora, glandes hujus mundi, quam ipsam, et ideo hospitium deserit, et abit, tot convitiis et injuriis affectus. Nam si tu in domo tua in capite mensæ Æthiopiassam accumbere faceres immundam, incomptam, et inhonestam, et ipsa tamquam domina sederet; uxori vero præciperes, quæ illustris et Princeps est, ut mensæ ministraret, nonne gravem injuriam dominæ huic inferres? Hoc modo peccator cum Deo agit, suos appetit, et libidines plures habet, quam illum, et creaturas Creatori antepont, propter quod moleste ferens hæc omnia, domum et hospitium Deus deserit. DID. STELLA., in c. XI. *Luc.* Unde Dionysius Alexandrinus concludit: « Nihil extiosus est, quam a Deo ita deferri, ut nulla nostri cura, et providentia tangatur; nec ullum ob gravissima crimina gravius supplicium irrogari potest quam ut quispiam a Deo destituatur: qui enim Servatoris Dei ope ac presidio caret, hic sub hostium ac prædonum potestate est. » DIONYS. ALEX. apud Mansi, *dis. viii.* n. 4. Quia, ut S. Chrysostomus notat, discedente Deo, festinum venit in animam peccatorum fector, corruptio criminum, victorum putredo, conscientia vermis, et fit in corporis sepulchro vivo funus, anima jam sepulta. S. CHRYS., s. XIX. Hinc merito S. Bonaventura queritur: Perdit homo bovem, et sollicitè eum querit, equum, et non quiescit, perdit ovem, et post eam vadit; sed perdit homo peccando Christum, et quiescit, et comedit, et bibit et non querit. S. BON., s. de *S. Maria Mag.*

« Quia omnia merita auferuntur per tale

peccatum; » hinc S. Basilius exclamat: « Miserandum sane spectaculum, post jejuniium, post asperam degendæ vitæ rationem, post assiduas preces, post uberes lacrymas, post continentiam annorum fortasse viginti, aut triginta, propter animæ negligentiam, et incuriam, omnibus orbati, ac similem esse eum, qui mandatorum divinatorum operatione ac quæstu affluerebat, locupletissimo cuidam negotiatori, qui amplissimas merces secum afferens, ac secundo modo periculosa maria emensus, in ipso littore, fracta navi, omnibus opibus repente privatur, siquidem hic quoque ea, quæ innumeris laboribus, et sudoribus quæsiverat, unico demonis impetu perdit, peccato nimirum, non secus ac sævo quodam turbine pressus, ac submersus. Hinc sane, qui virtutes omnes tamquam naufragio amiserit, vox hæc convenit: « Veni in altitudinem maris, et tempestas demersit me. » S. BAS., hom., in *princ. Prov.* Et confirmans idipsum S. Vincentius Ferr. super verba Luca: « Dissipavit substantiam suam, » discurrens; Existo textu, inquit, habetur, quod quilibet, qui peccat mortaliter perdit omnia bona, et merita, quæ congregavit. Unde si quis haberet omnia merita Prophetarum, et Apostolorum, si peccaret mortaliter, statim perderet omnia illa, et nihil remaneret sibi. Peccatum mortale ad instar mortis omnia mortificat. In morte homo omnia dimittit, etiamsi esset dominus lotus mundi; sic peccatum mortale auferit homini omnia merita. Non solum perduntur virtutes contrariæ, sed etiam omnia alia v. g. si peccas per superbiam, non credas te solum perdere merita, quæ acquisisti per humilitatem, sed etiam omnia alia. Ratio est, quia omnia merita in gratia Dei fundantur, qua perdita, omnia merita perduntur, quia destructo fundamento, cadit omne ædificium. S. VINC. FERR., s. II, in *Sabb. post Remin.*

« Quia fedissimam maculam affert animæ; » ut Dionysius Carthus, indicat his verbis: « Maculat animam, quæ maculatio gratulorum spoliationem concomitatur, estque amissio spiritualis pulchritudinis et nitoris; nam sicut in corporalibus macula est perditio propria pulchritudinis ac nitoris, ex contactu alicujus immundi, ita in spiritualibus, ponitur macula pro amissione spiritualis nitoris. Anima autem duplicem sortitur nitorem: unus est luminis natura-

lis, seu rationis: alius est Divinæ illuminationis per gratiam. Porro dum anima inferioribus, terrenis, atque carnalibus rebus inhæret, agit utique contra lumen naturalis rationis, et gratiam divinæ illustrationis, siquæ spiritualis nitore, quantum ad lumen naturale, minoratur, et obfuscat, sed quoad lumen gratiæ omnino auferitur. Quod si nunc tanto turpior est macula, quanto pretiosior est et pulchrior res maculata, quid anima, pretiosius? nil ergo peccato sordidius, nil immundius, ait recte Chrysostomus. DIONYS. CARTHUS., a XVIII, de *Enorm. pec.*

« Quia impotentiam ad bene operandum facit animam; » ut sat clare indicat Sanctus Augustinus, dicens: « Idoneus est homo ad vulnerandum se, nunquid idoneus est ad sanandum se? Quando vult ægrotat; non quando vult, surgit; ut faceret ægrotus, intemperantiam suam habuit necessariam; ut surgat autem, necessariam habet artificis medicinam. Sic ergo, ut peccet homo, ipse sibi sufficit ad peccandum; ut justificetur, non sibi sufficit, nisi ab illo justificetur, qui solus est justus. » S. AUGUST., in *Ps. xcii.* Et iterum: Quid boni operari potest perditus, nisi quantum fuerit a perditione liberatus? nunquid libero voluntatis arbitrio? Et hoc absit. Nam libero arbitrio male utens homo, et se perdidit, et ipsum: sicut enim qui se occidit, utique vivendo se occidit, sed se occidendo non vivit, nec, seipsum potest resuscitare, cum occiderit; ita cum libero peccaret arbitrio, victore peccato, amissum est et liberum arbitrium, a quo enim quis devictus est, hinc et servus addictus est. ID., in *Enchir.*, c. xxx. Unde merito alibi hortatur: Implorat auxilium qui sic positus est, et novetur suum esse, quod cecidit, non suum esse, quod surgit. Jam enim liberatus agnoscentes gratiam liberatoris sui dicit: « Miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum. » Clarus etenim est sequens Osæe textus: « Perditio tua, Israel, tantummodo in me auxilium tuum. ID., l. LXXXIII, qq. LXXXVI, 9.

« Quia opera omnia mortificat; » uti Abulensis indicat dicens: « Opera facta in peccato mortali sunt mortua: id est, tunc quando fiunt, non sunt meritoria vitæ æternæ: sed quod res non habuit in sua origine, si sit de substantialibus, nunquam po-

test postea habere : ergo non fuerit prædictum opus a principio meritorium, nunquam poterit postea effici meritorium; atque ideo mirum non est, quod anima peccatrix, et quæ ab illa, dum in statu peccati est, flunt opera, Deo sint abominabilia. » *ABUL.*, in c. xxiii, *Matt.*, q. 344. Cujus fundamentalem rationem afferens S. Antonius sic discurre: Quia charitas est radix merendi, secundum Thomam in 4. Quolibet autem mortale contrariatur charitati, ideo existens in mortali, nullo modo potest mereri, nec pro se, nec pro alio aliquid bonum gloriae, seu gradum præmii æterni. Nec etiam reverso tali ad veram poenitentiam, illa bona reviviscunt ad præmium gloriae. S. AN., tit. VII, c. viii.

« Quia asperum jugum imponit homini, » uti S. Gregorius testatur his verbis : Asperum jugum et durum servitutis pondus est, subesse temporalibus, ambire terrena, retinere latentia, velle stare in non stantibus, appetere quidem transeuntia, sed cum transeuntibus nolle transire. Dum enim contra votum cuncta fugiunt, quæ prius mentem ex desiderio adeptionis affixerant, postea pavore amissionis premunt. S. GREG., in *Cant. S. Thom.*

« Quia vehementer torquet peccatorem; » S. Augustinus indicat sic loquens : « Peccatoribus non est locus in his, quæ foris sunt, quia ibi patiuntur tribulationes, ubi conscientia illos non consolatur. Non est bene illis secum, quia bene esse cum malo non potest; quisquis autem malus est, male secum est; torqueatur, necesse est, sibi se ipso tormento : ipse est enim poena sua, quem torquet conscientia sua. Fugit ab inimico, quo poterit; a se quo fugiet? Unde S. Petrus Damianus ait : Diaboli figuram etiam herinacius representat, qui nimirum cum toto corpore spinis sit obsitus, vindemiarum tempore ingreditur vineam, et quam meliorem viderit, occupat uvam, quam mox tam violententer exagitat, ut omnia ejus humum grana prosternat, indeque descendens, tandiu super eadem grana provolvitur, donec spinarum ejus aculeis omnia transigantur. S. AUG., in *Ps. xxxvi*. Unde S. Ambrosius : adversarius nobis omnis vitiorum est usus, adversaria est nobis libido, adversaria avaritia, adversaria omnis improbitas, adversaria omnis iniqua cogitatio, omnis denique mala conscientia, quæ nos et hic efficit, et in futuro accusabit, et

prodel. S. AMB., in c. xii, *Luc.* Et iterum alibi : Quæ enim poena gravior, quam interioris vulnus conscientiæ? quod severius iudicium, quam domesticum, quo unusquisque sibi est reus. *IDEM*, l. III, *Offic.*, c. iv.

« Quia omne lucrum spirituale impedit; » unde S. Antonius ait : Fatuissimus est operarius ille, qui difficillimis laboribus se fatigat, et tamen nihil stipendii, vel mercedis in fine reportat : Quot laboribus et periculis difficillimis se exponunt homines pro peccato, isti pro voluptatibus, illi pro cupiditatibus, isti pro vanitatibus, inexplicabile est dicere. Et quod erit stipendium? Certe mortis supplicium, et infernale dispendium. *Rom. 6.* « Stipendium peccati mors. » Et ideo postquam Salomon præmisit *Sap.*, l. 12 : Nolite zelare mortem in errore vite vestre, signanter adjunxit : « Neque acquiratis perditionem in operibus manuum vestrarum; » quasi dicat, nullum aliud lucrum habebitis propter peccatum. S. AN., p. I, tr. v, c. ii, § 12.

« Quia occultari nequit, » nam ut S. Bernardus recte advertit, est turpium poena Deus, lux est enim; et quid tam invisum obsecnis, flagitiosisque mentibus? profecto omnis, qui male agit, odit lucem. Sed dico : « Numquid non poterunt declinare? minime, licet ubique, etsi non omnibus. Denique in tenebris lucet, et tenebræ eam non comprehendunt. Videt tenebras lux, cui hoc est videre, quod lucere, sed vicissim a tenebris ipsa non videtur, quia tenebræ eam non comprehendunt. S. BERN., l. I, *de Consid.*, c. xii.

FUGA PECCATI VENIALIS. — « Quia peccata venialia sunt magnum impedimentum ad perfectionem; » uti Dionysius Carthusianus indicavit, dicens : Veniale perfectionis adeptionem tanto plus impedit, quanto minus vigilanter vitatur, ac deploratur. Ideo et multi Religiosi ad veram religionem parum propinquant, vel nunquam attingunt, quoniam venialia cum incessabili diligentia non declinant, nec mentem suam in divinæ æternæque lucis præsentia semper timorata constituunt; imo facilius ad inania resolvuntur. *DIONYS. CARTH.*, c. xix, *op. de Enorm. pec.* Nam perfectæ et sincerissimæ sanctitatis volens cultores suos facere Salvator, jussit ab eis cautissime etiam minima servari, scilicet, ut quam pura est pupilla hominis, tam pura esset

Christiani hominis vita. *SALVIAN.*, l. III, *de Prov.*

« Quia impediunt devotionem, » teste eodem Carthusiano, dicente : Familiaritatem mentis cum Deo, spiritualeque illam secretam consolationem Spiritus Sancti, et gustum bonitatis divinæ non modice impedit, nisi quis quotidiano fervore venialia ista depleat, castiget, extirpet. *Idem.*

« Quia retardant a gloria; » nam homo, qui decedens aliqui posset statim evolare ad cælum, post mortem cogitur per venialia ad tempus in purgatorio expectare; nunquam enim ab aliquo facies ejus videbitur, donec solvat minimum quadrantem venialium peccatorum, scilicet per penam. S. BERN., l. I, c. xiii, *Comp. Th. Ver.* Quod confirmans S. Basilius exemplo Moysis dicit : Illum magnum, et qui tanto honore a Deo dignus habitus est, ut illud audiret : « Novi te, præter cæteros omnes, et invenisti gratiam in conspectu meo, » hic, cum de aqua contentio esset, nec ullius alterius rei gratia, nisi quod solum populo murmuranti, ob penuriam aquæ dixisset : « Num ex hac petra educam vobis aquam? » hujus solius rei causa, statim et Deus minitatus est dicendo : « In terram, quam recepi me vobis daturum, non intrabis, » quæ erat tum ex his promissionibus, quæ factæ erant Judæis, princeps, et primaria.

« Quia actiones hominis inficiunt; » nec enim dubium est, inquit Alvarez, peccata levia studiosas actiones inficere. Cibis quidem, quamvis de se salubris, ac suavis, duabus de causis minus gratus invenitur, aut quia ipse infusus est, et male præparatus, aut quia in vase immundo nobis offertur. Quare igitur non erunt minus gratæ Domino, quas offerimus, virtutis actiones, si cor nostrum, in quo, velut in catino offerunt, peccata immunda invenitur? Ubi Organum vitiosum est, inquit Ambrosius in *Ps. xxxv*, in principio quomodo potest cantus non esse vitiosus. *ALVAREZ*, ap. Mansi, *dis. xvii*, n. 8.

« Quia fontem divinæ largitatis obscurant; » videbis aliquem semper in oratione aridum, in divinis laudibus desolatum, in Eucharistiæ susceptione durum, et in omni tempore nullo fere gustu celestis consolationis affectum, nulla rerum divinarum cognitione compunctum : et tantæ pauperlati nullam aliam causam, nisi vendi negligentiam, et incuriam quotidia-

rum defectuum vitandorum invenies. *Idem.*

« Quia per accidens æterna poena puniuntur; » Deus enim, ut ait Abulensis, nihil inordinatum reliquit, sed non potest ordinari culpa sine poena. In illis autem, qui damnantur, non potest aliqua culpa dimitti, neque aliquis reatus tolli, cum sine charitate maneat, per quam culpa purgatur, et remittitur reatus. Et ideo in morientibus in mortali, semper remanebit culpa venialis, si erat, quando decesserunt; aut manebit reatus poenæ, si erant obligati ad aliquam poenam pro venialibus, dato quod culpa venialis dimissa fuisset; et illa poena manebit in æternum, quæ sit eis æterna per accidens, scilicet, qui est sine charitate. *ABUL.*, c. xv, in Mansi, q. 704.

« Quia fuga illorum juvat ad magna peccata vitanda; » nam virtus, quæ in parvis promitur, facilius in maximis exhibetur; sic dum consuescimus minora vincere, majora discimus evadere. Quod confirmans Alvarez : « Cura, inquit, fugiendi minora peccata, quodammodo a casu majorum liberat, et ad ea declinanda facilem viam nobis ostendit; quo enim pacto in dejectionem incidit, qui verbum otiosum timet? aut in rei minus honestæ consensum impingit, qui levissimam cogitationem virtuti adversam fugit. » S. VALER., *hom. xvi*. Et D. Chrysostomus : Si levium peccatorum magnitudo noscat, et majorum facillime perniciem noscitur; unde fit, ut perpensa diversitate culparum, declinentur levia, detestentur enormia, atque omnia ob hæc omnino damnentur peccata. S. CHRYS., *de Peric. lev. pec.*; *ALV.*, t. II, l. I, p. I, c. xviii.

« Quia severa de illis ratio reddenda; » qui autem litigator in re minima iudicis sui filium offenderet, si posset ob illum levem offensam expeditioni causæ suæ aliquam afferre jacturam? at vero, ut S. Gregorius ait : « Sic Dominus unusquisque considerat vias, sic dinumerat gressus, ut ne minutissimæ quidem cogitationes ejus iudicio, ne verba tenuissima, quæ apud nos usu videntur, indiscussa remaneant. » Et in progressu ejusdem capituli, in hæc verba concludit : Sancti viri tanto se subtilius in cogitatione restringunt, quanto se a superno Iudice districtus considerari conspiciunt. S. GREG., l. XXIV, *Mor.*, c. iv.

« Quia si non solam mortem corporis, et ea quæ mortem important, sed quæcumque

etiam adversa corpori fugimus, cur solam mortem animæ, et quæ ad illam disponunt, et non quoque mala alia fugiamus? » Maxime quod ista mala, seu damna leviorum peccatorum non levia sunt, sed magni momenti. *ALV., loc. c., cap. 1.*

« Quia deformitas minimi peccati excedit omnem deformitatem corporalem, » etiam possibile, cum pretiosioris rei pretiosior sit corruptio. *EUSEB. NIER., de Adorat. l. I, cap. xiii.*

« Quia peccatum veniale est summum malum, » post peccatum mortale, nocetque magis animæ, quam omnes morbi simul sumpti corpori nocere solent.

« Quia pena omnibus penis et doloribus hujus mundi simul etiam sumptis graviori punitur, » quis autem, si videret jussu Regis Sponsam et Reginam charissimam in ardentem fornacem conjectam, judicaret leve ab illa crimen commissum.

« Quia suspendit munificentiam Dei, et amorem nostrum erga illum in hac vita, et ejus visionem in altera, » quomodo ergo parvum dicitur? an parvum videbitur, quod ingens saxum de cælo cadens in aere suspenderit.

« Quia tantum malum est, ut prius omittere illum debeat homo, quam milles mori, quam cælum et terram permittere in nihilum redigi, quam totum genus humanum damnari. » Unde B. Virgo maluisse, filium suum sine peccato propriis manibus occidere, quam in peccatum etiam minimum consentire.

« Quia multitudo eorum periculum facit, » nam multæ arenulæ opprimunt navim, multæ locustæ agros destruant, guttæ magna inundationem faciunt, multa parva vulnera mortem afferunt; ita si parva hæc peccata vitare negligimus, insensibiliter seducti, audenter etiam majora perpetravimus, teste S. Gregorio.

« Quia veniale peccatum vitando majus B. Virgini et Christo obsequium præstat, » quam si in monte Calvarie quis se in loco Christi substituisset, ut pro illo crucem portaret, et in ea penitus affligeretur. S. *GREG., l. X, Mor., cap. xiv.*

PRO RELAPSU. — « Quia per relapsum, summum ingrati animi vitium committitur, » dum pro summo bono, scilicet animæ nostræ salute, summum malum rependimus unde merito Deum summe offendi necesse est; nihil enim perinde Deo displicet, præ-

sertim in filiis gratiæ, quam ingratitude teste S. Bernardo.

« Quia impedit ab oratione, et fractu SS. Sacramentorum percipiendi; » si enim ille, qui morbo caduco laborat ad Sacrificium in altari offerendum non admittitur, quanto magis, qui morbo caduco spirituali laborat, pro Sacrificio orationis offerendo indigni censebuntur?

« Quia in manifestum salutis periculum præcipitat: non minus, quam febris calida si frequentius in illam labi contingat, et pleniusque vulnera recrudescantia periculosa sunt.

« Quia turpissima homini notam inurit, » si enim cibos, quos semel sumpsimus, resumere turpissimum censemus, quanto magis turpe erit peccatum semel e corde ejectum sponte resumere.

« Quia difficiliorem emendationem reddit, » quo enim frequentius vas aliquod liquore imbutur, tanto difficilius ab eodem liberatur.

MEDIA.

In genere, « quot media nobis offerat Deus ad peccata vindicanda, » indicavit S. Thomas Villan. dicens: « Per varia media nos dirigit Deus in finem, nonnumquam minis, et terroribus nos concutit, obiciens nobis pœnas damnatorum, infortunia, et miseria peccatorum, assidua flagella, et frequentes molestias inimicorum, et importabile tormentum iniquorum: malum enim et amarum nimis est, Deum habere inimicum; quod si minæ non sufficiunt, flagellis et infortuniis affligit nos, in campo et fræno maxillas nostras constringens, ut revertamur ad ipsum; et si hac via magis induratur cor nostrum, mille blanditiis, et favoribus nos mulcet, augens dona, subsidia multiplicans, accumulans beneficia, si forte vel sic ad amorem largitoris provocemur. Quod si hæc parva videntur, multo majora promittit, ingrens nobis futuram gloriam, quam præparavit diligentibus se, et innumerabiles gratias, quas hic confert custodientibus præcepta ejus. His itaque et aliis modis exhortando, monendo, corripiendo, terrendo, mulcendo, favendo, promittendo, largiendo, diligendo, ut Pater piissimus ac munificentissimus, vitam salutemque nos-

tram inquirat, nihil omittens omnino eorum quæ nobis prodesse poterunt ad salutem; unde per Prophetam ait: « Quid faciam tibi Juda? quid debui facere vineæ meæ, et non feci? » Sed, o duritiam! O pertinaciam cordis nostri! Hæc omnia Dei incitamenta et blandimenta quasi nihil contemnimus, et flocci pendimus, neque dignamur vel a longe ea inspicere, et considerare, quasi ex debito redderentur; neque terroribus flectimur, neque flagellis emolimur, neque beneficiis allicimur, neque promissionibus provocamur. S. *THOM. VILLAN., in Conc. de S. Ægid., Abb.*

« Consideratio gravitatis peccati hujus, » uti Didacus Stella suasis sequentibus verbis: « Tu, quisquis es, qui Deum audes offendere fac illud, quod Angelus Raphael consuluit Tobiae, exentera piscem, et tolle fel; bonum enim est ad visum; sic tu exentera peccatum, ut videre possis amaritudinem, quo facto expelles ignorantiam, et oculos aperies, et videbis quanta sit peccati malitia et feritas. » *DIDAC. STEL., in c. II, Luc.*

« Consideratio presentiae Dei: nam, ut bene discurrit Didacus Nyssenius, si potens quispiam offendatur, id reliquum scientiam illius fugiat, notitiamque prætereat. Apud potentes terræ id accidere, et ratio ista valere nonnumquam solet, nec enim semper illi vel vident, vel audiunt, quæ contra ipsos aguntur, sique offensæ illorum, et injuriæ impune transeunt. Sed hoc locum non habet apud nostrum supremum Conditorum, et Judicem, nam, ut Philosophus noster Seneca loquitur ep. lxxxiii, et fides animis nostris, et cogitationibus mediis intervenit, nullæ fores linceis illius oculis imperviae, in abstrusissima cordium nostrorum suam habent oculi ejus jurisdictionem, nihil tam reconditum in penitissimis animis nostris, quod non studiose advertat, non attente potest, non perspicaciter arbitretur, et expendat. Juxta hæc, quis illum offendere etiam in abditissima animæ suæ parte possit, vel ausit, cum nulla tam sit remota ab oculis, nulla tam absita, et occulta, quam ille non velut in medio sole luculentissime pervideat? Unde merito ulterius sic infert: Nihil est, quod æque perhorrescamus, ac rugitus leonis. Itaque Salomon, ut præferocis alicujus Regis furiosam iram expressam daret, non alia comparatione id commodius facere posse

putavit, quam rugitus, quem hæc immanis fera edere solet, inquit: « Sicut rugitus leonis, ita terror regis; » *Proverb., xx, 2.* Et propheta Amos, cap. ii, 8, ait: « Leo rugiet, quis non timebit? » cuius non cor intra corpus emoriatur? cuius non contabescat metu animus? Huc spectavit Innocentius III cum ait: « Quis non timeat judicem potentissimum, sapientissimum, justissimum: potentissimum, quem nemo potest effugere; sapientissimum, quem nemo potest latere; justissimum, quem nemo potest corrumpere? Juxta hæc, quis est, qui videns talem potentiam, tam magnum Dominum offendat? qui cognoscens talem sapientiam exasperet talem Deum, talem judicem irritet non ignorans talem justitiam. » *INNOC. III, l. III, de Contemp. Mund., c. xiv.* Quod confirmans S. Joannes Damasc.: « Turbæ vitiatorum, ait, universæ resisti poterit, si semper et assidue cogitaverit Deum operum suorum inspectorem; Angelum Custodem, virtutis nobilitatem, voluptatem momentaneam, peccati spurcitiem, vitam labilem, mortem incertam, gaudium, seu cruciatum sempiternum, puræ conscientiae pacem, hominis dignitatem, Dei beneficium, et super omnia Christi vitam, mortem, et crucem. Quæ enim, et qualis vita, si vix homo ex sepulcro progressus, rursus ad sepulcrum pergat, et demum in perpetua gehennæ flamma se sepeliat? » Utique magna pars peccatorum (juxta Senecam) tollitur, si peccatoris testis assistat; S. *JOAN., DAMASC., de Octo pass.,* quanto magis si assistentem Deum cogitemus. Certe hic cum veritate quis peccator illa S. Marthæ verba usurpare potest; Domine, si fuisses hic (per memoriam presentiae tuæ) frater meus non fuisset mortuus. *JOAN., xi, 21.*

« Consideratio infernalium tormentorum, » uti S. Augustinus suasis dicens: Supplicia terreat, quem præmia non invitant: vile tibi est, quod Deus pollicetur, contremisce, quod minatur. S. *AUG., in Ps. xlii.* Et confirmans idipsum S. Bernardus, primum, ait: « Consideret peccata sua, qualia et quanta perpetravit, quæ considerare non multum prodesset, si non pro illis in gehenna punire metueret: et ideo consideratio peccatorum, recte adjungitur consideratio gehennæ. Item, si consideratur, quæ et quanta sint tormenta gehennæ, et nulla peccatorum memoria haberetur, securam forsitan gehennam consideraret, cum

nulla eam recordatio peccatorum perterret. « Hac de causa in mente contemplatoris utrumque, et peccata, et gehenna conjungitur, ut ex utroque terror inefatiatur et timor, utpote qui securissimum est peccati frænnum unde Poeta canit : Oderunt peccare mali formidine poenæ. Chrysostomus ad populum suum Antiochenum prædicans, dicens ait : « Nihil tantum peccata quidem consumit, virtutem vero crescere facit, et germinare, quantum continui timoris natura : propterea, qui non vivit in timore, recte illum agere non est possibile ; sicut vicissim cum timore viventem, est impossibile peccare. » S. BEAN., IV, in *Parab. de nuptiis Filii Regis*.

« Consideratio aliorum damnorum, » ea præcipue, de quibus S. Antonius Pad. locutus est, dum super illa verba Prophætæ : « Meditatus sum nocte cum corde meo, et exercitabar, et scopebam spiritum meum » ita scribit : « Nota ista tria : meditari, exercitari, scopare. Peccator in nocte peccati existens, debet meditari corde suo, quid amisit, quid sibi acquisivit. Commisit animæ suæ mortem, amisit gloriam, acquisivit gehennam. Et pro his debet se exercitare in contritione et amaritudine cordis peccati, et scopare, id est, mundare foetorem cordis peccati, in confessione oris. » S. ANTON. PAD., *Dom. 16 post Pent.* Tempestive etiam S. Chrysostomus monuit, dicens : « Quando parvam animæ perturbationem susceperis, ne eam neglexeris, quod parva sit, sed consideres, quod id, quod ex ea altit, maxima mala parit. Etenim postquam in domo aliqua parum stuppæ accensum viderimus, conturbamur, et tumultum movemus ; non enim attendimus initium, sed ex initio finem considerantes, movemur, et concurrimus, ut totum caminum extinguamus ; hoc igne vehementius animam exedit vitium. Oportet itaque prævenire, nam si fuerimus negligentes, id correctæ evadet difficilior. Et iterum : Noli aspicere, quod unum hoc verbum sit, sed quantum periculi habeat, expende : an ignoras inimitiarum tempore, incandescente ira, animoque prorsus ardente, etiam minimum videri aliquid magnum ? Hæc parvula, et homicida sæpe pepererunt, et urbes sæpe integras subruerunt. » S. CHRYS., in *Ps. vi*.

« Radicis evulsio, » de qua S. Hieronymus sic dicitur : « Donec recens est, parvum radicem e pectore tuo evelle, ne alio-

qui, cum pullularit, et radices suas alte infixit, postea non nisi longo tempore ac magno cum labore extirpari possit. Ob id enim majora peccata quotidie ad nos aditum habent, atque in animas nostras imperium obtinent, quoniam iis, quæ minora esse videntur hoc est, improbis cogitationibus, inhonestis sermonibus, malisque colloquiis, consentanea correctio minime adhibetur ; ut enim in corporibus, qui parva vulnera negligunt, saniem plerumque, ac mortem sibi ipsis accersunt, ad eundem modum etiam in animis hoc usu venit, ut, qui minima vitia ac peccata nihil pendunt, graviora sibi invehant. » S. HIER., in *Vita Josaphat.*, l. I. Aliam radicem assignavit V. Beda, dum dixit : « Oriuntur cuncta peccata ex carnali concupiscentia. Quicquid est peccatorum in dietis, in cogitationibus, in factis, non exoriuntur, nisi ex illicita cogitatione. Hinc ergo illicitæ cogitationi resistimus, si non consentiamus, si non velut arma ministramus. Non regnet peccatum in nostro mortali corpore, peccatum enim ante regnum perdidit, et sic perit ; regnum perdit, quando post concupiscentias nostras nos imus. » V. BEDA, apud Mansi, *disc. iii*, tract. LXXIX, n. 3.

Hanc doctrinam confirmat Abbas Prinissius apud Cassianum, dicens : « Nullus obtinere se posse credat, ut motus atque affectus, per quos penitenda commisimus, de nostris cordibus amputentur, qui non prius ipsas causas atque materias, pro quibus in illa collapsus est crimina, omnis spiritus fervore succiderit. » CASSIANUS, coll. XX, c. x. Quænam autem sit radix illa clare indicavit sanctus Bonaventura, dum dixit : « Peccatum omne originem ducit ex inordinata conversione ad triplex illud commutabile bonum, divitias, honores, et carnis voluptates. Ex quo manifestum est, summam omnem salutis nostræ in hoc consistere, ut offensiones et lapsus in triplici hac materia evitentur. S. BONAV., in *Apolog. paup.* Qua ratione autem hæc radix tolli debeat, docuit sanctus Ambrosius, dicens : Si a radice vitia vis evellere, charitatis ignem applica, quo passiones universæ ac vitia superantur. » Nam, ut S. Prosper recte dixit, si Deum ex toto corde diligamus, nihil erit in nobis, unde peccati desiderii serviamus. S. AMB., apud Beir., c. v, in *Festo S. Magd.*

« Novissimorum memoria : » sic enim Siracides suasit, dum dixit : In omnibus

operibus tuis memorare novissima tua, et in æternum non peccabis. ECCL., c. vii.

« Usus frequens Eucharistiæ ; » nam, teste S. Bernardo, duo præstat in nobis, ut scilicet sensum tollat in minimis, et in gravioribus tollat omnino consensum. S. BERNARD., in *serm. de Cæn. Dom.*

« Passio Christi in memoria revocata, » hæc enim est Angelica contra pestem ; hæc est fel piscis, quo S. Raphael dæmonium fugavit : maxime si ob oculos Christus ponatur et fingatur illis S. Augustini verbis alloqui : Cur me graviore tuorum criminum cruce, quam illa, in qua pependeram, affixisti ? graviore apud me peccatorum tuorum crux, in qua invictus pendeo, quam illa, in quam tui misertus ascendi. S. AUG., s. CLXXXI *de Temp.*

« Oratio crebra : » nam, ut recte S. Innocentius scripsit, nisi magnis precibus gratia in nos implorata descendat, nequicquam terrenæ labis et mundani corporis vincere conamur errores, cum pares nos ad resistendum non liberum arbitrium, sed Dei solum facere possit auxilium. S. INNOC., *ad Conc. Chartag.* E contrario vero, impossibile est hominem congruo precantem studio, et assidue Deum orantem, Deoque continue supplicentem, unquam peccare, unquam in peccatum incidere. Id quod fuse probat, ac demonstrat sanctus Chrysostomus loc. cit. S. CHRYS., hom. LXXIX *ad Pop.*

« Occasionum fuga : » sic enim hortatus est Gregorius, dicens : non erubescamus fugere ; gloriosa enim fuga est, fugere a facie peccati. S. PROSP., l. de *Vit. cont.*, c. xv.

« Præmunire se contra unum peccatum specialiter : » Sic enim quondam senex quidam fratri quærenti, quomodo vitii resistere posset, respondit : « Non repugnes contra omnes, sed contra unum ; omnes enim cogitationes Monachorum habent unum caput ; necessarium ergo est, quæ et qualis sit, considerare, et adversus illam reniti ; ita enim et residuæ cogitationes humiliantur. » VIT. PP., l. V, lib. X, n. 88.

« Præparare se ad certamen, et prævidere hostis insidias et artes : » Nam, ut sapienter Theodorus Studita dixit : « Expedi constituta habere, quæ formides, ante terrorem, ut egregie bello commisso prodeamus in aciem. Facilis est enim animus vinci imparatus, qui haud prociuctus de repente ineat certamen. » TH. S. U., s. CXVI.

« Mature occurrere cogitationibus malis occurrentibus : » Ita S. Bernardus monuit, dicens : « Oportet, si mundas conservare volumus animas nostras, adhuc longe agentibus cogitationibus, hujusmodi multa cum indignatione occurrere, et exsufflare a nobis, ut nullus eis detur accessus. Et primum quidem genus cogitationum otiosarum, scilicet ad rem non pertinentium, lutum est, sed lutum simplex, id est, non inhærens sed fœtens, nisi forte diutius immoretur in nobis, et per incuriam et negligentiam nostram in alterum genus cogitationum vertatur, quod quotidie experimur ; dum enim otiosa tamquam minima spernimur, ad turpia, atque inhonesta dilabimur. » S. BERN., apud Mansi, *dis. xxii*, num. 4.

« Humilis agnitio : » « Seito, inquit Blossius, quia ipsa levia peccata efficacius in te debentur, si culpam agnosces, humiliter, et amanter te ad Deum converteris, quam si ea morosius apud te pertractare, et in eorum consideratione diutius cum pusillanimitate occupare volueris. » BLOSSIUS, in *Parad.* in num. 5.

« Crebra confessio, » uti Christus ipse S. Birgittæ revelavit, dicens : « Qui spiritum et gratiam meam adipisci ac retinere desiderat, utile est, crebro peccata, et negligentias suas coram sacerdote confiteri, ut expurgetur. » Et cum ipsa Birgitta videret animam mariti sui Ulfonis in purgatorio, dixit : O felix anima, quid præcipue tibi profuit ad salutem ? Ille respondit : Confessio mea, quam feris sextis, dum sacerdotis copiam habebam, facere suum solitus, cum firmo me emendandi proposito. IDEM., in *Concl. anim.* c. v, num. 5.

« Periculorum, quæ inde oriuntur prospectio, » Quam sequentibus verbis S. Cyrillus commendat : Ad aquarum plenitudinem cum columba properandum est ; in his enim sponse describitur pulchritudo. Ferrunt hoc genus avis, cum ad aquas venerit, quia ibi solet accipitris insidias pati, venientem desuper inimicum, volitantis umbra in aqua conspecta, deprehendere, et oculorum perspicacia fraudem periculi imminenti evadere ; quod si in tu prospicere poteris insidias diaboli, et cavere, in sacrificium Deo columbas obtuleris. S. CYRILL., apud Mansi, *dis. xvii*, n. 1. Quod confirmans Alvarez : Quemodmodum, inquit, cum aliis pugnant, qui nec permittit ad se hostem

ac redere, nunquam ab eo deicietur, neque illidetur in terram; sic, qui primum adversarii fugit accessum, difficillime, in peccatum alicujus momenti deturbabitur. Sciebat hoc optime Eusebius sanctissimus apud Theodoretum, qui zona ferea in collum injecta, curvus inclinatus incedens, cum interrogaretur, quamnam utilitatem ex illa mortificatione susciperet, ista memorabili sententia respondit: Ne malignus dæmon de magnis bellum gerat, conans auferre temperantiam et justitiam, et iram armans, et cupiditatem accendens, et ut fastu efferat, et superbia intumescam, efficiens, et quæcumque adversus meam machinatur animam, conor hostem ad hæc parva traducere.

ASCETICA.

DE PECCATO MORTALI. — « In primis nosse debet Asceta, quod nullum in terris detur verum malum, præter peccatum, præsertim mortale. » Id quod Didacus Nyssenus bene declarat sequenti discursu: Nocte cenæ, cum orationem ad æternum Patrem suum, pro salute discipulorum Christus funderet, sic ad illum aiebat: « Non rogo, ut tollas eos de mundo, sed ut serves eos a malo. » JOAN., XVII, 13. De hoc malo communiter affirmant omnes esse peccatum. Dn. Nys., in *Vita Abraham*, l. II, c. VIII. Ita SS. Augustinus, Chrysostomus, Euthymius, Theophylactus. At si Christus optavit discipulos suos servari a peccato, cur hoc perspicuis verbis non petit? Cur dixit: Rogo, ut serves eos a peccato? Fecit hoc, ut intelligeremus, nullum esse malum, nisi peccatum, sicut nullum est bonum nisi gratia. Ærumnæ, adversitates, persecutiones, infirmitas, sitis, fames, tam non sunt in gratia Dei, ut potius sint bona, et occasio incrementi gratiæ. Propterea dicebat S. Joannes Chrysostomus in hom. de *Abraham*, tom. I. In rem nostram sunt tentationes. Quantum afflictionum, cruciatuum, calamitatum hujus vite habet justus, tantum habet auri, argenti, et gloriæ celestis. Omnia in illius utilitatem, et honorem cedunt; majestas autem, et potentia, bona valetudo, venustas, opulentia, et cætera fortunæ bona conjuncta cum peccato, tam non sunt bona, ut etiam majorem damnationem adferant illi, qui ea habet. Ergo non est aliud bonum, præter

gratiam, nec aliud malum, præter peccatum. Audiamus hanc in rem etiam Cajetanum, qui in superiora Domini verba sic disserit: Non dicit, ut serves eos a tribulationibus, ab odiis, a persecutionibus sed a malo, hoc est, ut serves eos, ne aliquid proveniat eis in malum; quod est æternæ separationis a Deo. Ea propter S. Paulus omnes creaturas provocabat, illasque, et omnes vitæ hujus ærumnas, glorianter appellabat, dicens: « Quis nos separabit a charitate Christi? tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius? Rom., VIII, 35. Nihil horum, certus sum enim, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare a charitate Dei. » IMB., v, 38, 39, Joan. Cluniacensis, serm. LXVII, tom. II, ait: Omnia provocavit, et de solo peccato tacuit. Cum pro animi sui magnitudine omnia provocare Paulus ausus fuerit, solum peccatum lacessere timuit. Alia enim omnia non habent eas vires, ut avellere quamquam ab amicitia Dei queant, unum, solumque peccatum obliterare, abolere, extinguere eam momento potest; itaque solum etiam peccatum est malum, cætera bona esse possunt, si cum gratia Dei sint conjuncta. Hinc etiam Ecclesia ait: « Tunc nulla nobis nocebit adversitas, si nulla dominetur iniquitas. » Mala cætera, quæcumque hoc nomine censentur, non habent quidquam contagionis, ærumnæ non habent virus, non habent toxicum dolores, quo inficiant, et interficiant, nisi peccatum illis suum venenum affundat.

« Nosse pariter debet, quod solum peccatum mortale sit causa ignis et damnationis æternæ, » Uti S. Salvianus præclare sequentibus verbis ostendit: Prophetium hoc (Producam ergo ignem de medio tui, qui comedat te). EZECH., XXVIII, n. 18. Ad nos dicitur: ecce omnes vos ignem accendistis, et vires præbistis flammæ, ingredimini in lucem ignis vestri, et flammæ, quam accendistis; totum namque humanum genus hoc ordine in penam æternam ruit, et scriptura memoravit. Primum enim ignem accendit, postea vero vires ignibus præbet, postremo flammam ingreditur, quam paravit. Quando igitur sibi primum homo æternum accendit ignem? scilicet

cum primum peccare incipit. Quando autem vires ignibus præbet? Cum utique peccata peccatis cumulavit. Quando vero ignem æternum introibit? Quando irremediabilem jam malorum omnium summam, crescentium delictorum iniquitate complevit.

« Nosse etiam debet, quomodo peccatum hominem ad bona opera facienda inhabilem reddat. » Id quod egregie S. Antoninus sic ostendit: « Voluntas multum est remissa ad bonum propter peccatum, adeo quod bonum, quod intelligit, et in generali proponit, agere non valeat. Figuratur per claudum, qui videt quidem, quo pergere debet, sed recto gressu incedere non valet: quibus claudis per Eliam dicitur. III REG., XVII. Usquequo claudicatis in duas partes? claudicat ex parte dextra, qui præcepta ad Deum nos ordinantia non servat; claudicat ad sinistram, qui mandata erga proximum nos dirigentia non custodit, nec talis diu in peccatis permanere potest, quin labatur in alia. Pergit idem Antoninus ostendere, qualiter pars inferior et sensitiva, ratione culpæ rebellet; ait enim: Potentia sensitiva multipliciter vexatur passionibus propter peccatum; sic enim Deus instituit hominem, ut ratio subjiceret sibi, et inde sensualitas omnino erat subdita rationi, sed propter peccatum inobediencia rebellis ratio Deo inmediate, et caro recalcitravit spiritui; in cujus signum, signum secundum Augustinum, primi parentes senserunt stimulum carnis, propter quod erubescens ad invicem, fecerunt sibi perizonata, id est, cooperimenta: et potentia quidem concupiscibilis non appetit nisi delectabilia sensibus, etsi contraria spiritui: « Caro enim concupiscit adversus spiritum, » ut dicitur, GAL., v, in cujus figuram ancilla Agar concepit se videns ex Abraham, despiciebat proterva dominam suam Sarai, et cum verberibus angeretur, ab ea fugam arripuit, ad designandum, quod sensualitas, quæ est ancilla rationis, postquam per concupiscentiam conceperit peccatum, ex viro, ex appetitu rationali, despicit postea rationem, nec vult ei obedire; sed etsi aliquando cogatur quibusdam pœnis, ut jejuniis, et disciplinis, ipsa sensualitas fugit a ratione, nec propter hoc ei obedit, sed ut libera vagatur, tantum excessit concupiscentia, ut nec deferat naturali foederi, seu propinquis; ut pater in Amnon primogenito David, qui amore concupiscentiæ insaniens in Thamar sororem

suam, violenter constupravit eam: et in Ruben, qui ascendit cubile patris sui: et in Semiramide bellicosissima Regina Ninive, quæ duxit in maritum filium suum, sed ab ipso interfecta est. Irascibilis potentia plena est perturbationibus et vindictis illicitis: Unde Saul, qui prius erat peccatissimus, adeo quod despicientes dominium ejus, sibi a Domino traditum, patienter toleravit, nec in aliquo molestari voluit; post victoriam autem magnam habitam contra Ammonitas, postquam a Domino recessit per peccatum, ita turbulentus, et furiosus effectus est, ut per se et per alios mortem quæsiret generi sui David, ei fidelissimi, et octoginta quinque sacerdotes occidi fecerit, quia Abimelech Princeps eorum favorem præstaverat Davidi, concedendo panes et gladium Goliath, et consulendo pro eo Dominum. S. ANTON., p. I, tr. VII, c. III, § 4. Quod etiam confirmans S. Bernardinus, advertendum est, ait secundum Thom. XXV, q. 86, quod triplex est bonum: primum naturæ, secundum gratiæ, tertium habitatis ad actum, seu aptitudinis ad beneficiendum. Primum et bonum naturæ, ut puta intellectus, atque voluntas; et hoc bonum per quodcumque peccatum nec tollitur, (sicut nec per tenebras aer tollitur) nec substantia aeris minuitur. Secundum est bonum gratiæ, et hoc per peccatum omnino ab anima removetur: unde sicut lumen per tenebras et per cecitatem, sic per culpam gratia amovetur. Tertium est bonum habitatis ad actum, et hoc non tollitur, sed per peccatum diminuitur. S. BERN., l. III, serm. de *Calamit. senect.*, ar. 1, c. IV. Paulo alter eamdem doctrinam declarat S. Bonaventura sequentibus verbis: « Per peccatum corrumpitur potestas liberi arbitrii dupliciter, scilicet in agendo, et suscipiendo; in agendo quidem, quia non potest semper facere, quod oportet, nec vitare, quod nocet. In suscipiendo autem, quia gratiam stabilem non potest suscipere in hac vita. Item corrumpitur ratio in hac vita dupliciter, scilicet quantum ad discretionem judicii inter bonum, et malum; et quantum ad deliberationem consilii, inter expediens, et inexpediens. Item corrumpitur affectus dupliciter, scilicet in ordine, et in modo, quia nec semper est moderatus. S. BONAV., l. III, c. VIII, com. *Theb.*

« Nosse debet, quam nulla, graviaque damna afferat peccatum mortale, » quæ quidem clarissime Dionysius Carthusianus enu-

merat dicens: Peccatum semper pluribus nocet: primo ei, qui peccat; secundo proximis et toti Ecclesie, quia interim proximus scandalizatur, et ipsa Ecclesie acies ad standum contra diabolum quodammodo minoratur, ac infirmatur in eo, qui impie conversatur, Nocet in Purgatorio constitutus, quia non juvantur tam efficaciter ab injustis, sicut a bonis. Nocet damnatis, quia, quo plures in infernum descendunt, tanto est illic major horror, ululatus, ac cruciatus, siquidem ibi locum non habet, quod dicitur: Solatium est miseris socios habere miseriae. Nocet quodammodo beatis in Patria, per modum subtractionis; quo etenim copiosior est numerus beatorum, et primum accidentale fit majus ex societate felici, uno de felicitate alterius gloriante. *DIONYS, de Enorm. pecc., art. 18.*

« Nosse debet, quod non prosint opera in peccato mortali facta; » quod quidem egregie S. Laurentius Justinianus ostendit, dicens: Ex sola charitate singulorum merita causantur; suffragantur tamen (sed non ad aeternae vite meritum) cetera bona opera sine charitate, et non bene consummata, valent ad mitigandam penam, quae iuste ex omissione et praecipiti transgressione debetur, si non fierent: praestant temporalia bona, honores videlicet, divitias, incolumitatem corporis, longevitatem vitae, terrenam felicitatem, propagationem filiorum, successusque prosperos. Occupant hominem, nec permittunt operantem ad exteriora labi. Assuefaciunt ad bene operandum, delectant mentem, restringunt fomitem, arcunt peccati fluxum, atque ad susceptionem gratiae gratum facientis habilitant cor. Exigua vero universa sunt in comparatione retributionis aeternae. S. LAUR. JUST., *l. de Spir. ani. inter.* Quod etiam confirmans Gerson: « Fac interim, ait, dum es in peccato mortali, quidquid boni potes, ut Deus illustret cor tuum; nam bonum opus de genere, et morale, etiam factum extra charitatem, utilitatem affert multam, quoniam propter tale opus disponitur homo ad opera virtutum, et ad facilis resurgendum trahitur. » GERSON. *l. II, prol. Reg. mor.*

DE PECCATO VENIALI. — « De hoc primo nosse debet, cur vitandum sit; » nempe quia qui spernit modica, paulatim in majora decidet. *ECCLES., XIX, 2.* Hinc, teste S. Marco Eremita, diabolus modica delicta elevat, et extenuat; alioqui enim ad majus malum aut

vitium hominem adducere non posset. S. MARCO, *l. I, de Leg. spir. n. 90.*

« Nosse secundo debet, cur ejusmodi peccata ab Ascetis et virtutis asselsis specialiter vitanda sint; » nimirum quia, ut S. Gregorius Nazianzenus recte dixit, his ruga una turpior est, quam maxima vulnera iis, qui in mundo vivunt; nec enim tam notabilem et conspicuam in sordidis, quam in puris unitus coloris vestibus labes aliqua foeditatem habet. S. GREG., *de Fuco.* Quo nitidiores manus, inquit S. Bernardus, eo gravior quis nœvus in eis ostenditur: et sicut pretiosam vestem exigua quævis macula turpius decolorat, nobis ad immunditiam minima quælibet inobedientia sufficit; nec jam nœvus est, sed gravis macula, si in actionibus nostris vel minorum residet negligentia mandatorum. S. BERN., *l. de Trip. cust.* Quis enim ferat filium, inquit Claudius Aquaviva Soc. Jesu, Generalis, dicentem: Revera diligo patrem, sed citra lethalia vulnera et mortem, quidquid illi injuriarum et molestiarum inferre potero, faciam omnia sine respectu ullo et liberrime: nec tantillum curo, magis an minus ei placeam, modo hereditate me non privet, vel morte puniat. CLAUDIUS AQUAV., *Ind. c. XI, n. 6.*

« Tertio nosse debet, quæ peccata venialia specialiter ab Asceta vitanda sint. » Pro quo sciendum, triplicis generis peccata venialia reperiri. Videlicet 1. « Majora, » quæ quidem ex se mortalia sunt, sed ob carentiam pleni et diliberati consensus, aut ob materiae exiguitatem venialia redduntur. Qualia sunt, cogitatio impudica, et appetitus vindictæ, cui negligenter, sed sine consensu, resistitur: detractio in materia levi: violatio paupertatis in exigua quantitate, et similia, quæ ligno comparantur, quia crassiora sunt, et graviori ac longiori igni in Purgatorio materiam subministrant, nisi hic expientur. 2. « Media, » quæ ex genere quidem venialia sunt sed cum deliberata voluntate committuntur, ut sunt officiosa mendacia, otiosi sermones, scurrilitates, cachinnationes curiositates audiendi, aut legendi vana, adulationes praelatorum, aut majorum, ambitiones, et similia, quæ feno similia dicuntur, quia ut fœnum sunt pabulum jumentorum, id est, imperfectorum, et igni quidem satis grandi, sed brevius duraturo materiam suppeditant. 3. « Minima, » quæ ex fragilitate et semiplena advertentia originem ducunt, ut sunt modica distractio in

oratione, motus vanitatis, affectus complacentiae, immoderatus rigor ex bono zelo procedens, nimia mansuetudo in corrigendo, nonnulla tristitia et anxietas in cibo et potu sumendo, indiscretus fervor, et similia, quæ stipulis assimilantur, quoniam sicut palea citissime a vento rapitur, et tenui flamma consumitur, ita et ipsa, quia multum infirmitatis, parum autem voluntatis habent, citius igne purgatorio absumuntur. Ex his ergo cum omnia collective accepta vitari non possint absque specialis Dei gratia, ea saltem; quæ sub secundo et primo genere continentur, studiosè sunt ab Ascetis vitanda, utpote quæ a perfectione assuequenda specialiter impediunt.

« Quarto nosse debet, cur Deus etiam a perfectis viris ejusmodi peccata venialia, et quidem sæpe illis occulta, committi permitat; » nimirum quod, ut Sanct. Climacus ait, sint apud viros spirituales quædam vitia plerumque vilissima, mira Dei dispensatione relicta, ut per illa, quæ sine peccato sunt, seipso semper valde accusantes, humilitatis opes inviolabiles acquirant. S. CLM., *grad. 26.* Oculia vero juxta Sanct. Augustinum (id est, talia, de quibus periculosissimum si definire) permittat, ut studium perficiendi ad omnia peccata cavenda pigrescat quoniam si scientur, quæ vel qualia sint delicta, pro quibus etiam permanentibus, nec profectu melioris vitæ absumptis intercessio si inquirenda et speranda justorum, eis secura se obvolveret humana segnitie, nec evolvi talibus implicamentis ullius virtutis expeditione curaret. S. AUG., *t. II, l. de Civ., c. xxvii.*

« Quinto nosse debet, cur nonnulla peccata Deus in hac vita puniat, at alia inulta relinquat; » nimirum quia, ut S. Gregorius ait, si nulla resecaret, quis Deum res humanas curare crederet? Et rursus si hic cuncta percuteret, extremum iudicium unde restaret? Quædam igitur feriuntur, ut Rectoris nostri super nos sollicitudinem formidemus; quædam vero inulta servantur ut adhuc Judicem restare sentiamus. S. GREG., *c. xxvi, Mor. c. xviii.*

« Sexto nosse debet, quousque possit homo omnia peccata venialia vitare, » nimirum quod a nemo justorum viribus propriis, sine divina gratia ab omnibus venialibus peccatis abstinere possit; ita enim clare S. Joannes pronuntiavit, dum dixit: Si dixerit

mus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est. I. JOAN. VII, 10. Impossibile namque est, quemlibet Sanctorum non istis minimis, quæ per sermonem, per cogitationem, per ignorantiam, per oblivionem, per necessitatem, per voluntatem, per obreptionem, per somnium admittuntur, incurere, ut notat Cassianus. CASSIAN., *coll. XI, c. x.* Nec facile, teste S. Leone, provenit cuiquam tam incruenta victoria, ut inter multos hostes, frequentesque conflictus, etiamsi sit liber a morte, sit quoque immunis a vulnere. S. LEO., *s. iv, de Jejun. dec. mens. 2.* Possit tamen cum auxilio divinæ gratiæ vitare singula, et omnia peccata divisim sumpta, ut communis sensus SS. PP. et Theologorum contra Hæreticos docet. Unde recte S. Chrysostomus ait: « Non potes dicere: non possum, neque accusare Conditorem. Si enim impotentes nos fecit, et deinde imperat, culpa ejus est; quomodo ergo, inquis, multi non possunt? quomodo ergo multi nolunt? » enim voluerint, omnes poterunt, habemus quippe cooperatorem et adiutorem Deum; tantum velimus, tantum opere accedamus ad rem ipsam. S. CHRYS., *hom. xvi, in Ep. ad Hebræos.* Deus enim, ut ait Sanct. Hieronymus, ita concessit liberum arbitrium, ut suam per singula opera gratiam non negare. Quocirca juste instat præcepto, ait S. Leo, qui præcurrit auxilio. S. IHER., *Epist. ad Cypr. 3.* Possit cum divina gratia per totam vitam vivere sine peccatis cum plena deliberatione commissis, ita enim manifeste docet S. Clemens Alexandrinus, dum ait: Optimum est nullo modo peccare, quod est solius Dei; secundum nullum ex voluntariis attingere maleficiis, quod est proprium sapientis et multorum exemplis sumpta. SS. 5 et 6, ostensum est. S. CLM. *l. I, Ped. c. 1. A.* Possit etiam per longum tempus abstinere ab omnibus indeliberatis peccatis, uti fise tum auctoritate Conciliorum et SS. PP. tum exemplis plurimis probat Lancizius. Eandem doctrinam confirmat S. Bonaventura sic discurrens: Nota, quod homo potest esse sine peccato mortali, sed non sine veniali; et ratio hujus est, quia homo dum unum veniale vitat, aliud incurrit. Unde dicunt Doctores, quod homo potest vitare quodlibet veniale in particulari, sed non in generali: et est exemplum de navi, in qua sunt multa foramina, quorum quodlibet in particulari nauta oppilare potest, sed non

omnia simul, et ideo sine veniali vix homo esse potest, dicente Joanne; « Si dixerimus, quod peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est » LANG., op. XVI, a. n. 261; S. BONAV. ep. Mansi, *dis.* XXVII, n. 4. Unde Blossius prudenter monet, quod ad veniales quotidianasque culpas attinet (a quibus, dum hic vivimus, omnino liberi esse non valeamus) monendi estis charissimi, ne nimis solliciti sitis, neque conturbemini si non omnes in confessione expresseritis. Illas humiliter ac serio Deo confitebimini, et contrito, devotoque corde vos reos coram eo accusabitis; sic enim iis, qui Confessionibus audiendis adhibentur, nimis multum temporis non auferetur: sane tales culpa generaliter exposuisse satis est. Peccata venialia multis modis delentur, puta contritione, Dominicæ orationis prolatione, genuflexione, aquæ benedictæ aspersione. (vid. n. 13.) BLOSSIUS, *l. de Consol. pusil.* § 4.

« Septimo nosse debet discrimen inter affectate et deliberate commissa peccata, ab iis, quæ ex fragilitate committuntur, » de quo sic loquitur Blossius: « Aliud est labi in levia peccata ex occasione, aut humana fragilitate duntaxat, et aliud labi ex affectata negligentia; nam qui ex infirmitate sola delinquit, dum liber apud semetipsum est, odit vitia, eorumque vitat occasiones; quando tamen sese offerunt ipsæ occasiones, facile, aut linguæ incontinentia, aut sensuum nimia libertate, aut passione affectio- neque indigna, aut consimili aliqua transgressione offendit, sex mox, ut ad se redierit, dolet, et penitus adversatur vel minima peccatorum labem, ob idque veniam repente consequitur. » Ille vero, qui ex affectata negligentia peccat, dum, malorum occasionibus e medio sublatis, liber apud semetipsum esse potest, miris modis concupiscit easdem occasiones, illisque plurimum afficitur, non sane propter peccatum, sed propter oblectationem, labitur quidem et ipse ex fragilitate fortassis, sed non ex mera fragilitate: qui tamen, si statim, culpa admissa, innovato proposito vere penitentiam ageret, ipse quoque celerrime obtineret delecti remissionem. Quod confirmans Alvarez: Dictum est, ait, perfectam charitatem levisima quæque peccata non admittit, quia diligentissima cura ea cavet, et, si inciderit, lacrymis et gemitibus diluit. Perfectioris ergo hujus vitæ puritas in hoc sita reperi-

tur, ut omnia graviora peccata penitus fugiat, et corporalem mortem, immo et ipsos gehennæ cruciatus potius, quam aliquod grave crimen admittat; et ut levia peccata nunquam de industria perpetret, et quæ humana fragilitas secum affert, quotidie numero minuat, imminuta qualitate extenuet, extenuata sæpissime odio ipsorum, et Dei ferventissimo amore consumat. BLOSSIUS, in *Para.*, an. c. III, n. 3.

« Octavo nosse debet triplicem modum, quo venialia peccata remittuntur, » quem S. Thomas sequentibus verbis assignat: Triplici ratione aliqua causant remissionem peccatorum venialium. Uno modo, in quantum in eis infunditur gratia, quia per infusionem gratiæ tolluntur venialia peccata, et hoc modo per Eucharistiam, Extremam unctionem, et universaliter per omnia Sacramenta novæ legis, in quibus confertur gratia, peccata venialia remittuntur. Secundo modo in quantum sunt cum aliquo motu detestationis peccatorum; et hoc modo confessio generalis, tuncio pectoris, et oratio Dominica operantur ad remissionem venialium. Tertio modo, in quantum sunt cum aliquo motu reverentiæ in Deum et ad res divinas; et hoc modo benedictio Episcopalis, aspersione aquæ benedictæ, qualibet Sacramentalis unctio, oratio in Ecclesia dedicata, et si aliqua alia sunt hujusmodi, operantur ad remissionem venialium peccatorum. S. THOM., q. 87 et 3.

« Novo nosse debet, quomodo venialia peccata ad mortale disponent. » Quod S. Antoninus sic ostendit: Qui peccat venialiter ex genere, prætermittit aliquem ordinem; et ex hoc, quod consuescit voluntatem suam in minoribus debito ordini non subjicere, disponitur ad hoc, quod etiam voluntatem suam non subjiciat ordini ultimi finis, eligendo id, quod est peccatum mortale ex genere, et secundum hunc ordinem, id est, dispositionem, intelligendum est, quod dicit Augustinus, *de Penit.*, dist. I, c. scilicet quod illa peccata, quæ humanæ fragilitati, quamvis parva, tamen crebra subrepunt, si collecta contra nos, fuerint, ita nos gravabunt, et oppriment, sicut unum aliquod grave peccatum, scilicet mortale. S. ANTONIUS, p. I, t. XVI, c. 1. Et confirmans idipsum Alvarez: « Levia, inquit, peccata contempta nos in manifestum perditionis discrimen adducunt, non quia ipsa sufficiant nos perdere, sed quia sæpe sufficiunt ad grave cri-

men inclinare, in quo sensu dixit Augustinus Epist. cVIII, *de Levibus peccatis*; quæ si collecta contra nos fuerint, ita nos gravabunt, et oppriment, sicut unum aliquod grave peccatum; quid enim interest ad naufragium, utrum uno gravi fluctu navis operiatur, et obruatur, an paulatim subrepens aqua in sentinam, et per negligentiam derelicta, atque contempta impleat navim, atque submergat? Neque enim id sapientissimus Pater dixit, quia putaret multa levia peccata uni gravi coæquari, sed quia hæc, si non navim nostri cordis operiunt, at aperiunt, ut magnum fluctum peccati gravis suscipiant. » ALVAREZ, t. I, l. I, p. II, c. XVI. Tannerus duplici modo ea disponere docet: 1. « Directe et per se: » quatenus generatim quemdam Dei ac rerum divinarum neglectum inducunt, et in certa materia, frequentata habitum generant, quo animus facilius ad actus similes etiam in gravi materia exercendos. 2. « Indirecte et per accidens: » quatenus remouent prohibens seu obstaculum peccati mortalis, scilicet fervorem charitatis, et aliarum virtutum habitum, peculiaria quoque gratiæ auxilia, quibus aliqui homo fuisset a peccato mortali inhibitus. TANN., l. II, *Dis.*, IV, q. 3, *dub.* III, n. 53. Quæ omnia complexus est brevitè Sanct. Albertus Magnus, dum in compendio suæ Theologiæ dixit: « Peccatum veniale minuit fervorem charitatis, sicut aqua in ignem projecta, licet ignem non extinguat, fervorem tamen illius temperat. Item potentias animæ in bonis operibus lassat, sicut quando ponitur pondus super equum, minus erit promptus ad ambulandum. Item bona celestis gloriæ diminuit, non quidem illa, quæ jam habemus illi per meritum reposita, sed quæ deberentur, si venialia non fuerint, quia in eo tempore possunt aliqua bona fieri, quando illa fiunt. » S. ALBERT., l. III, c. XIII, *Com. Th.*

« Decimo nosse debet, cur periculiosiora quandoque sint venialia peccata, quam mortalia: » de quo sic discurret Didacus Stella: Febris magna, ut erat hæc qua laborabat socrus Petri, cito curatur; at febris, quæ in ossibus latet, hæc vires rapit, et ad interitum ducit. Ita magnum peccatum raro nos in infernum ducit, nam ipsius magnitudo nos terret, ita ut in cognitionem ejus veniamus, quo fit, ut illius penitentiam agamus cum mentis nostræ meliori respicientia. At hæc peccata parva, in quæ quo-

tidie delabimur, et ad quæ, ob ipsorum parvitatem, non respicimus, hæc, inquam, sunt, quæ in interitum celeri cursu nos vocant. DID. STELL., c. IV, *Luc.* Et confirmans iterum Alvarez, magna, inquit, et aperta peccata eo justis minus periculiosiora sunt, quo vel aspectum eorum satis enormem et letrum exhorrent; at minima, eo ipso, quod minima, periculiosiora videntur, quia dissimulanter intrant, latenter cor possident, et abscondite ad miserabilem ruinam disponunt. ALV., c. I, l. V, p. II, c. x.

« Undecimo nosse debet astutias Diaboli in hæc materia usurpari ab eo solitas, » quas S. Bernardinus paucis verbis indicavit, dicens: Tantæ quippe astutiæ est serpens antiquus, ut hominem Deum timentem non mox invadat suggestione aperti sceleris, sed primum paululum restringit rigorem justæ discretionis; qui autem modica spernit (ut dicit Ecclesiasticus) paulatim decedit. S. BERN., s. III, fer. 3 *post Pasc.* Unde merito S. Ephrem hortatus est, dicens: 'Vos hortor, obtestorque, fratres, ut non solum a gravius peccatis ac vitiiis temperetis, sed etiam ab illis, quæ parva apparent et levia, quæ tamquam minimi ac nullius momenti, fere ab omnibus negligi, spernique solent, quasi nulla de similibus reddenda forent ratio, cum interim per ejusmodi nos spernere etiam quaerat diabolus. Omni ergo diligenter ac studio, etiam in minimis illis, dolos atque insidias diaboli caveat, ut cum Christo sempiterna gloria fruamini. S. EPHR.'.

CONCEPTUS PRÆDICABILES.

DE PECCATO MORTALI.— Ex occasione thematic: « Ecce defunctus efferebatur: » LUC., VII, 12, potest peccator adolescenti huic mortuo comparari, et 1. ostendi, quod et ipse per suggestionem a temperie et quiete mentis dimoveatur: per delectationem infirmetur: per consensum moriatur: per consuetudinem effereatur: per contemptum sepeliatur: per obdurationem gravi lapide opprimatur. 2. Quod oculus extinctæ animæ sit corpus: quatuor portitores amor peccati, timor penitentiae, spes longioris vitæ præsumptio de Dei misericordia. Sepulchrum stulta securitas conscientiae, quæ veluti gravi mole opprimit hominem, ne videat, in quo dis-

crimine sit. 3. Quod, ut ad vitam revocetur hic defunctus, debeat Christus per suas internas inspirationes ei effeaciter dicere: Adolescens, tibi dico, surge. 4. Quod residet hic defunctus, quando per peccati detestationem se erigat ad Deum, et ad voluntatem ejus faciendam: incipiat loqui, cum peccata confitetur: surgat omnino, cum per opera satisfactionis, et vitæ emendationem ambulat in Dei lege: detur matri suæ, cum Ecclesiæ restituitur, ejusque curæ ac sollicitudini commendatur.

Ex occasione thematis: « Noli me tangere: » potest narrari historia de Fenella Regina, quæ, cum odium concepisset erga maritum suum Kemetum, pomum præparari jussit exteriori quidem specie pulcherrimum, sed intus sagittis plenum, eaque arte confectum, ut in eum, qui pomum ab altero ablatum arripere, omnes illæ sagittæ erumperent; hoc ergo simulans amorem et specialem benevolentiam cum obtulisset marito, ille ineaute illud arripiens, misere a telis erumpentibus interemptus est. Subvenerat postea idem cuivis peccatori contingere a mundo, carne, et diabolo, dum et hi pomum pulcherrimum, scilicet concupiscentiam divitiarum, voluptatum, honorum offerunt, seu, quod idem est, ad peccatum per consensum arripiendum invitent, sed non alio cum effectu, quam quod innumera tela, id est, damna erumpentia misere animam perimant. Unde poterunt breviter ejusmodi damna explicari, præcipue quod noceat peccatum fortunis, fame, corpori, animo, privans omni et summo bono, et onerans gravissimo, et summo malo, pena scilicet æterna damni et sensus. Unde merito peccatori suadendum, ut prævideat hunc dolum mundi, carnis et diaboli, ac in omnibus suis operibus ac tentationibus memoret novissima, seu exitum hujus pomii arrepti, ut in æternum non peccet.

Ex occasione thematis: « Attende tibi a pestifero, fabricat enim mala, » *ECL.*, xi, 33, potest peccatum pesti comparari, ob quatuor potissimum causas. 1. Quia, sicut pestis est malum valde hæreditarium, quod facillime ex consorcio pestiferorum aut usu rerum ab illis usurparum contrahitur, unde monet tam sollicite Sapiens: Attende a pestifero. 2. Quia, sicut pestis, cito interitum affert animæ; anima enim, quæ peccaverit, ipsa morietur, teste Ezechiele. *EZE-*

CHIEL., xviii, n. 4. 3. Quia, sicut virus seu bubo per pestem generatur vehementer urit et cruciat corpus; ita peccatum gravissimum cruciatum animæ per stimulum conscientie affert. 4. Quia, sicut ob pestem aversantur, et fugiunt homines pestiferum; ita peccator ob peccatum mortale a Deo, Angelis, Sanctis, et etiam hominibus in terra odio habetur, deseritur, et declinatur. Inferatur ergo, si homines pestem corporalem tantopere timent, et tam solliciti sunt in mediis pro ea avertenda præparandis et adhibendis, quanto magis similis cura et industria pro peste hæc spirituali avertenda sit adhibenda. Et 1. quidem Deus et Sancti invocandi. 2. Consortia pestiferorum hominum, et loca peste infecta seu occasiones peccandi declinanda. 3. Varia remedia pestiferum aerem excludentia usurpanda, præcipue Angelica timoris Domini, succus amarus seu lacrymæ ex corde serio penitente, et amore divino accenso expresse; cibus S. Eucharistiæ sumptus, quia qui ab hoc abstinet, et jejuni sunt, facile contrahunt malignum peccati habitum: unguentum considerationis novissimorum temporibus, id est, intellectui et voluntati illitum.

Ex occasione thematis: « De ligno scientiæ boni et mali ne comedas: » *GEN.*, ii, 17, potest peccatum huic ligno comparari, et pessimi effectus ex ejus comestione secuti explicari, videlicet 1. « apertio oculorum » juxta illud sacri textus: Et aperti sunt oculi amborum, *GEN.*, iii, 7, quia, ut bene Serapion scriptor Græcus advertit, sit quotidie, in nobis, quod in primis Parentibus factum est: quando peccamus, tunc cæci sumus; ubi peccavimus, tunc primum agnoscimus, quantum mali admisimus, nostrique facti nos pudet, tædet, ac penitet. *Apud FAB.*, conc. in *Dom.*, 7 post *Pent.* 2. « Nuditas: » nam et illi cognoverunt se esse nudos. Quod et per peccatum tanto detestabilis contingit, quanto gravior est ablatio gratiæ et virtutum supernaturalium, quam vestium corporalium. 3. « Confusio et pudor: » ideo enim se solis ficum texerunt; magis autem peccator sentit hunc effectum, ut cui merito objicitur illud S. Pauli: Quem fructum habuistis tunc in illis, in quibus non erubescitis? *ROM.*, vi, 21. 4. « Stimulus conscientie: » hic enim absconderunt se a facie Dei. Quod idem pariter peccator, quia, ut bene dixit

Masonius apud Gellium, cum quis per voluptatem aliquid turpe gessit, quod suave est, abit, quod turpe et triste est, manet. Hinc et Caino dictum a Deo: Si autem male egeris, statim in foribus peccatum est, id est, stimulus peccati. *GEN.* iv, 7. 5. « Metus pœnæ: » hinc enim dixit Adam: Vocem tuam audivi, et timui: tanto magis autem timere debet peccator, quanto plura et graviora peccata admisit. Incitandi ergo Auditores, ut vel primorum Parentum exemplo sapiant, et ab hoc pomo absteaneant. Vide *FABRUM*, l. c.

Ex occasione thematis: « Ite, ostendite vos Sacerdotibus: » *LUC.*, xvii, 14, potest peccatum lepræ comparari ob varias causas. 1. Quia sicut lepra totum corpus, ita peccatum totam animam inficit. 2. Quia sicut lepra letum odorem in corpore, sic peccatum in anima infamiam, quæ pessimus est odor moralis, generat. 3. Quia sicut lepra separat a consorcio hominum, ideoque leprosi ex urbe excluduntur, sic peccatum a consorcio Dei et sanctorum et civitate cœlesti excludit. Inferatur ergo, quam æquum sit, ut cum decem leprosis, de quibus Evangelium Dominicæ decimæ tertiæ post Pentecosten loquitur, ad Christum confugiatur, dicaturque: Jesu, Fili David, miserere nostri. Et quoniam Christus pariter dicit: Ite, ostendite vos Sacerdotibus: huic ipsius consilio serio pareatur.

Ex occasione thematis: « Ecce ascendimus Jerosolyman, et consummabuntur omnia, quæ scripta per Prophetas de Filio hominis: » *LUC.*, xviii, 31, potest ostendi, quomodo per peccatum passio Christi renovetur, et 1. quidem « vendatur » pro vilio pretio voluptatis cum Juda. 2. « Vinciatu » per funes et vincula inordinatorum affectuum. 3. « Negetur » cum Petro, dum verbis confitetur se nosse ipsum, factis autem negat. 4. « Flagelletur » per actus peccatorum repetitos, sicque impleatur illud Psalmi: Supra dorsum meum fabricaverunt peccatores. *PS.* cxxviii, 3. 5. « Coronetur: » per contemptum et cogitationes malas in capite præcipue residentes. 6. « Cruce gravetur: » peccata sua quavis crucis graviora ipsi imponendo juxta illud Isaia: Cum sceleratis reputatis est, ipse peccata multorum tulit. *ISAIA.*, lxxii, 12. 7. « Crucifigatur » juxta illud Apostoli: Rursum crucifigentes sibi metipsis Filium Dei, et ostentui habentes,

HEB., vi, 6. Unde merito S. Bernard. sequentibus verbis homines peccatores alloquentem introducit: Cur me gravius criminem cruce, quam illa, in qua quondam pependeram, affixisti? gravior enim apud me peccatorum tuorum crux est, in qua invitus pendeo, quam illa, in qua tui miseris mortem tuam occisurus, ascendi. Videri potest hæc omnia fusius deducens Henricus Engelgr., p. II, *Lucei Evang.*, conc. in *Dom.* *Quing.* et Julianus Haynense in *fer.* 6 *Parasceve.* Verit. pract.

Ex occasione thematis: « Obstupesce cœli super hoc, et porta ejus desolamini vehementer, dicit Dominus; duo enim mala feci populus meus: » potest gravitas peccati per ingeniosam Parabolam ab Eusebio Nierembergio propositam in hunc modum proponi: Fœmina erat Æthiopiæ et invenusta (Anima) quæ pedibus et manibus ligata (finitibus et vinculis peccatorum suorum) trahebatur a latronibus (demonibus) et volutabatur per fœtida loca (turpium voluptatum) ut in fornacem ardentem (inferni) coniceretur. Hujus Rex quidam (Christus) cui nemo similis, misertus, ut eam liberaret (solus erat), exposuit se morti pro ea, et acceptis multis vulneribus, fuso toto cruro, fugavit latrones, et illam sanguine sua mundavit, tum in Sponsam accepit, et Reginam coronavit; extruxit illi anulum magnificam (orbem terrarum) mireque eam exornavit (tot stellis et aliis rebus pretiosis) undique sculptam relinquens imaginem sui (sempe in omnibus creaturis) ut amorem illius sibi conciliaret. Disposuit quoque familiam, et donavit ei servos innumeros, quin et ipse ministravit illi in obsequiis humilibus (tum per humanitatem assumptam, tum per cooperationem in omnibus actionibus) delicias suas reputans esse cum illa. Insuper instituit hæredem regni sui, promissis donis multo majoribus, si fidem servaret. Verum illa, contempto Rege (per peccatum) sollicitavit ad adulteria servos viliores, qui stabula curabant, et renitentis, fidemque Regi servare cupientes cogeabat ad adulterium. Subinde cum benignior erga illam esset sponsum, omnino illum hostibus (mundo ac carni) prodidit, tradiditque, qui excœcarunt illum, et illuserunt. Denique imagenclæ Regis, quæ per angulos aulæ incisæ fuerant, contempto Rege, venerabatur; cumque Sponsus coram illa esset, amplexus illius desiderans, illa